Salvatore Maria Roselli, *Summa Philosophica ad mentem Angelici doctoris S. Thomæ Aquinatis,* Romae, ex typographia Fratrum Puccinelli, 1777-1782

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. I, *De Philosophia generatim,* art. 4, *Utrum Philosophiæ propagatio tribuenda sit Philosophis Græcorum*, p. 84.

48. A seculo decimo sexto ad hæc nostra tempora, plurimi, indicto Peripateticæ Philosophiæ bello, vel nova systemata (si tamen nova dicenda sunt) cudere, vel antiqua renovare sunt aggressi. Ex Italis Bernardinus Telesius, Thomas Campanella, Hieronymus Cardanus, Galilæus Galilæi, etc. Ex Gallis Petrus Ramus, Petrus Gassendus, **Renatus DesCartes**, Nicolaus Malebrancius, etc. Ex Anglis Franciscus Baco de Verulamio, Joannes Lockius, Isaacus Nevvtonus etc. Ex Germanis Guillelmus Gottefridus Leibnitius, Christianus VVolfius etc.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. I, *De Philosophia generatim,* art. 8, *Utrum expediat, in rebus philosophicis uti S. Thoma Aquinate Magistro*, p. 108-109.

96. Idipsum ostenditur ex commendatione doctrinæ S. Thomæ. Neque hic describam laudes, quibus eam prosequuti sunt Pontifices Maximi, et Catholicæ Academiæ ; confitetur enim et ipse Bruckerus *Pontifices, Academias, Gymnasia, et quidquid de doctrina, et eruditione judicare solet, in profundendis Thomæ laudibus decertasse.* Quod sane eximium est laudationis genus. Illos proferam, qui scholasticæ Philosophiæ prope bellum indixerunt. Ac Bruckerus idem quamquam invitus : *Fatemur,* ait, *omnino fuisse in Thoma judicandi aciem haud mediocrem, ingenium excellens, lectionis copiam, et inexhaustam prorsus industriam.* Laudat porro Erasmum, et Ludovicum Vives, quorum prior Thomam vocat virum *non suo tantum sæculo magnum, cui nullus recentiorum Theologorum par sit diligentia, cui sanius ingenium, cui solidior eruditio.* Posterior Thomam appellat *Scriptorem de schola omnium sanissimum.* Joannes autem Launojus ajebat : *Religiose iure in B. Thomæ doctrinam omnem... et propter honorem S. Thomæ non juro in aliam, quæ ab illa dissentiret.* Quibus adjungi potest Joannes Casius Oxoniensis in speculo Quæst. Moral. *Multi*, inquit, *hodie cum audiunt nomen Thomæ, supercilia statim contrahunt, et distorquent labia* ; *sed si isti serio unam vel alteram quæstionem in illo sine præjudicata sententia legerint, detracta palea purissimum granum, sublata scoria aurum splendidissimum forsan se invenisse dixerint.* Leibnitius item Ttheodiceæ §. 330. *Thomas*, inquit, *Aquinas ad solidum tendere solet.* Præterea Christianus VVolfus sæpe Thomæ ingenium, ejusque acumen singulare commendat, Hugo Grotius studium doctrinæ S. Thomæ consuluit Benjamino Maurerio. Ejusdem Thomæ acumen judicii, et eruditionis soliditatem suspexere | Renatus Rapinus, et Julius Schurlius. Ludovicus autem Crocius *Thomæ Aquinatis insignem*, *et admirandam Sapientiam* prædicat. Vossius Thomam appellat *magnum Doctorem*. Georgius Paschius de Thoma scribit : *Viri ingenium, et judicium mirari satis non possumus*. Joannes Franciscus Buddeus ipsum vocat *Virium magnum, et excellenti ingenio præditum*. **Cartesius** p. 2. Epist. 48. Mersenno gratias agit, quod ipsi quædam D. Thomæ loca transmiserit. Georgius Hornius in Hist. Phil. l. 6. c. 4. de S. Thoma : *Hoc,* inquit, *neque in studendo diligentior quisquam, neque parcior in loquendo* Antonius Genuensis adversus Spinozam agens : *Bina,* inquit, *proferam loca* (S. Thomæ) *ut quantus hic homo fuerit Philosophus,* intelligatur... *Paucis complexus est quæcumque ceteri longo sermone edisserere solent : quam nervose* ! Mitto reliquos, ne nimius videar. Expedit ergo sequi in Philosophicis Doctrinam S. Thomæ, quæ tantopere commendata est ab ipsis recentioribus Philosophis, qui Scolasticos spernere, et irridere consueverunt. Ut enim supra dicutm est, nulla major, securiorque haberi probatio potest illa, quæ ab ipsis adversariis testificationem accipit.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. III, *De Philosophia generatim,* art. 4, *Utrum perceptio sit actio, vel passio*, p. 175.

256. **Cartesius** omnes perceptionum, sive cogitationum species passiones vocat, quemadmodum actiones animæ appellat omnes animæ volitiones. Idipsum affirmat Malebrancius. Lockius autem etsi adfirmat, mentem agere, dum sibi ex ideis simplicibus alias ideas format ; nihilominus arbitratur, mentem pati duntaxat in perceptionibus idearum simplicium.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. V, *De Idearum Origine,* art. 5, *Utrum ideæ intellectuales menti sint concretæ, sive, ut ajunt, innatæ*, p. 204-205.

332. Jam obsoleverat Platonis opinio, cum illam **Renatus Cartesius** aliqua ex parte restituere aggressus fuit. Rejectis igitur ideis separatis, ideas posuit alias *adventitias*, alias | *factitias*, alias *innatas*. Adventitias appellavit, quæ a rebus procedunt extra nos positis, ut idea solis. Factitias, quæ a mente fiunt, conjungendo ideas adventitias, ut idea hippocentauri. Innatas, quæ habentur ab ipsa natura, suntque nobiscum creatæ, ut idea veritatis.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. V, *De Idearum Origine,* art. 6, *Utrum idea Dei sit nobiscum creata*, p. 214.

350. Ex hactenus dictis constare jam satis posset, ideam Dei non esse nobis innatam. Verum quia **Cartesius** arbitratur, tam splendide, tamque insigniter ab unoquoque deprehendi in seipso ideam cujusdam rei infinitæ, summeque perfectæ, ut inde queat demonstrari existentia idearum innatarum ; abs re non erit, de illa speciatim agere.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. V, *De Idearum Origine,* art. 6, *Utrum idea Dei sit nobiscum creata*, p. 215-219.

357. Prob. 2. ex Patribus, et Philosophis. Immensus forem, si singulos commemorare vellem. Ex Philosophis videri | possunt Sextus Empyricus, Epictetus, Asclepius, Dio Chrysostomus, Plotinus, Plutarchus. Ex Patribus idipsum docent Athenagoras, Theophilus Anthiochenus, Chrysostomus, Basilius, Nazianzenus, | Nyssenus Augustinus. Quid ad hæc **Cartesius** ? Respondebitne, se plus illis vidisse ? Nam illorum nemo, ut probaret Dei existentiam, ad innatam ejus ideam confugit.
358. Impugnatur modo opinio **Cartesii** ex ejus principiis. Idcirco **Cartesius** statuit, ideam Dei esse innatam, quia cum sit idea Entis infiniti oriri non potest neque a nobis, qui finiti sumus, neque a rebus exterioribus, quæ etiam sunt finitæ. Quæro autem, an idea innata Entis infiniti sit finita, vel infinita ? Infinita esse non potest ; nam **Cartesius** ponit illam menti *impressam* : repugnat autem, rem infinitam esse impressam menti finitæ. Itaque idea Dei innata, si daretur, esset finita. Nulla est igitur ratio **Cartesii**, quare illa debeat esse innata : nam idea finita proficisci potest a rebus finitis. Si | autem idea Dei innata finita est, explicandum remanet **Cartesio**, quomodo per eam cognoscatur Ens infinitum. Sane plus distat finitum ab infinito, quam corpus a mente. Sed per ideam corporis cognosci mens non potest, ut **Cartesius** docet. Ergo multo minus per ideam finitam etiam innatam Deus infinitus. | Itaque ex ipsis principiis **Cartesii** destruitur ejus opinio de idea innata Entis infiniti.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. V, *De Idearum Origine,* art. 6, *Utrum idea Dei sit nobiscum creata*, p. 223-225.

364. Ad quintum respon. 1. retorquendo argumentum. Nam **Cartesius** statuit, cogitationum nostrarum omnium primam, omniumque verissimam, etiamsi mens in ceteris deciperetur, esse illam, *Ego cogito* ; *ego sum*. Potest igitur | esse in nobis aliqua cognitio omnino certa, quin eam præcedat cognitio Entis summe perfecti. 2. Respondemus, satis esse ad discernendum inter magis, et magis, et minus perfectum, comparare unam rem cum alia : sic comparando hominem cum bellua, | cognoscimus, hominem esse bellua perfectiorem. Ex eo vero quod datur magis, et minus perfectum, colligimus dari debere Ens summe perfectum ; quippe lumine rationis cognoscimus, magis et minus perfectum esse non posse, nisi detur maxime perfectum ; id autem demonstrando colligimus, et quidem ex effectis, in quibus majorem, vel minorem perfectionem deprehendimus.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. XVII, *De veritate, et falsitate idearum*, art. 2, *Utrum veritas, et falsitas sint in sensibus*, p. 405.

756. Arbitratus est Epicurus, teste Laertio, sensibus semper inesse veritatem. **Cartesius** autem, quamvis adferat, sensus interdum falli, ex hoc ipso infert, nullam umquam illis fidem adhibendam esse.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. XXI, *De natura Judicii,* art. 1, *Utrum judicium sit actus intellectus*, p. 456-457.

848. Nemini, quod sciamus, ante **Cartesium** in mentem venit, judicium non esse actum intellectus, | sed voluntatis. Videtur autem esse actum voluntatis, I. quia judicium non est sine affirmatione, aut negatione. Sed affirmatio, et negatio pertinent ad voluntatem ; nam affirmatio importat consensum, negatio dissensum : consensus autem, et dissensus ad voluntatem pertinent. Ergo.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. XXIII, *De emendandis judiciorum defectibus,* p. 481.

893. Post enumeratas caussas falsitatis judiciorum, nunc remedia sunt adhibenda ; nisi enim præjudicia deposita fuerint, aditus veritati patere nequit. **Cartesius** non aliter præjudiciis occurrendum existimavit, quam per universalem dubitationem. Itaque 1. quæremus de universali dubitatione, an conferat ad emendandos judiciorum defectus. 2. quæ sint potiora remedia pro hujusmodi defectibus emendandis, investigabimus.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. XXVII, *De Argumentatione in genere,* art. 3, *Utrum probanda sit hypothetica argumentandi ratio*, p. 558.

1053. Hypothetice argumentamur, cum ex aliqua suppositione quidpiam concludimus. Ita **Cartesiani** ex suppositione affectionum, quas ipsi particulis materiæ tribuunt, putant explicare posse universa naturæ fœnomena. Idipsum censent Nevvtoniani efficere posse supposita universali attractione.

Vol. I, *Logicam complectens,* Quaest. XXXII, *De Methodo universim,* art. 3, *Utrum certæ sint regulæ in methodo servandæ*, p. 653-657.

1260. Videntur nullæ certæ regulæ esse, I. nam methodus ipsa quædam est regula. Si igitur aliæ regulæ essent, jam regula indigeret regulæ.
1261. II. Qui de methodo scripserunt data opera, veluti **Cartesius**, ita in varias regulas abierunt, ut in judicandi, | ratiocinandique artem confusionem potius, quam ordinem induxerint. Quis igitur poterit accurate certas methodi regulas constituere ?
[...] | [...] | [...] |
1268. Ad secundum dicimus, nonnullos juniores Philosophos, qui regulas methodi præscripsere, in iis, vel in earum usu fuisse deceptos. Exemplum suppeditat **Cartesius**, qui cum constituisset, in veritatis inquisitione incipiendum esse, ab universalis dubitatione, nihilque esse admittendum, cujus non haberemus claram, et distinctam ideam ; tandem desiit in hypotheses fictitias, et fabulis simillimas.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. I, *De objecto Physices, ac de ratione in Physica procedendi,* art. 1, *Utrum natura sit primum, et intrinsecum principium motus, quod corporibus inest,* p. 11.

6. Hanc naturæ notionem **Cartesiani**, quique *Occasionalistæ* dicuntur, evertere sunt conati, cum omne intrinsecum agendi principium rebus creatis ademerint, nec aliud praeter Deum admittant principium vere activum cujuscumque motus, sed motus corporum universos uni Deo acceptos referunt, qui illos ab initio particulis materiæ impresserit, et indefinenter conservet per leges communicationis motuum.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. II, *De Corporum existentia, et essentia,* art. 2, *Utrum essentia corporis physici reponenda sit in trina dimensione,* p. 49-50.

76. **Cartesius** veterum quorumdam Philosophorum opinionem renovans, arbitratus est, essentiam corporis reponi debere in sola extensione in longum, latum, et profundum. Gassendus sequutus Epicurum, atque Lucretium, putavit, essentiam corporis consistere in soliditate, quam impenetrabilitatem vocat. Fortunatus a Brixia eam collocat in naturali exigentia occupandi locum impenetrabiliter. Musschenbroekius ratus cum Lockio, omnia simul attributa corporis, in ejus substantia hærentia, corpus constituere, decernit, essentiam corporis innotescere nobis minime posse, propterea quod omnia corporis attributa hactenus detecta non sint.
77. Videtur autem I. dicendum cum **Cartesio** : nam posita trina extensione concipitur corpus, ea sublata concipi amplius non potest ; quis enim concipere valet corpus non extensum ? quandoquidem eo ipso non corpus, sed substantiam immaterialem conciperet. Quapropter 8. Augustinus Evodium alloquens ajebat : *Prius abs te quæro, utrum corpus ullum | putes esse, quod non pro modo suo habeat aliquam longitudinem, et latitudinem, et altitudinem ?... Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque omnino corpora esse recte existimari.* Essentia igitur corporis in trina dimensione posita est.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. III, *De principiis intrinsecis rerum naturalium,* p. 58-62.

90. Cum essentiam corporis in ratione substantiæ compositæ constituerimus, investigare oportet principia corpus intrinsece componentia. Sunt autem hæc principia vel prima, | vel secunda. Ac prima quidem sunt quæ ita componunt, ut ex aliis non componantur ; secunda vero illa dicuntur, quæ componunt quidem, sed ipsa etiam sunt ex aliis composita.
91. Quoniam vero circa prima corporum principia magna fuit inter veteres, estque inter recentes Philosophos opinionum diversitas ; ut ordine procedamus, quaeremus 1. an hæc principia sint finita, vel infinita. 2. an sint plura, vel unum tantum. 3. an sint elementa vulgaria. 4. aut partes similares Anaxagoræ. 5. aut numeri Pythagoræ, aut ideæ Platonis. 6. an atomi Epicuri, sive Gassendi. 7. an elementa **Cartesii**. 8. aut monades Leibnitianæ. 9. aut particulæ primigeniæ Nevvtoni. 10. aut Burnetii chaos. 11. Aut elementa Chymicorum. 12. aut materia, 13. et forma Peripateticorum.

ARTICULUS I.
Utrum principia corporum sint infinita.

92. Arbitratus est olim Anaximander Thaletis auditor, infinitum esse, ex quo omnia fiant, et in quod omnia dissolvantur, quin tamen definierit, quid sit hæc infinitas. Philosophi qui essentiam corporis in trina dimensione repununt, quique materiæ divisibilitatem in infinitum | admittunt, uti **Cartesius**, facere non possunt, quominus Anaximandro subscribant.
93. Videtur autem ita dicendum, I. quia, ut infra ostendemus, continuum est divisibile in infinitum. Omne autem corpus est continuum. Est igitur divisibile in infinitum. Principia ergo constituentia corpus sunt infinita.
94. II. Ex nihilo nihil fit. Si autem principia essent finita, necessario deveniendum esset ad aliquid quod fieret ex nihilo, scilicet, ad aliquod determinatum, quod non esset ex principiis. Oportet igitur, principia esse infinita.

Propositio. *Principia intrinseca corporum nequeunt esse infinita.*

95. Prob. ratione S. Thomæ. Omne infinitum intellectui nostro est naturaliter ignotum ; quod enim | est intellectui naturaliter notum, comprehenditur ab ipso quoad omnia quæ ipsius sunt : id vero naturaliter non potest contingere in aliquo infinito ; infinitum enim, ut Cicero ait, non habet extrema quibus comprehenditur.

Si igitur principia intrinseca corporum essent infinita, oporteret, ea esse ignota. Sed ignoratis principiis, ignorantur et ea quæ sunt ex illis. Sequeretur ergo, nihil posse de corporibus sciri. Non igitur principia intrinseca corporum sunt infinita.
96. Ad primum dicendum cum S. Thoma *quod licet corpus mathematice acceptum* (hoc est, pro ipsa trina dimensione quantitatis) *sit divisibile in infinitum* ; *corpus tamen naturale non est divisibile in infinitum* ; *corpus tamen naturale non est divisibile in infinitum. In corpore enim mathematico non consideratur, nisi quantitas, in qua nihil invenitur forma naturalis, quæ requirit determinatam quantitatem, sicut et alia accidentia.* |
97. Ad secundum concedimus deveniendum esse ad aliquod principium quod fit ex nihilo, hoc est, ad materiam, quæ in prima creatione rerum producta fuit ex nihilo. Axioma autem illud, ex nihilo nihil fit, intelligitur de agentibus creatis, non valentibus producere quidpiam, nisi ex præsupposito subjecto, non autem de Deo O. M. cujus potentia est infinita.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. III, *De Corporum existentia, et essentia,* art. 7, *Utrum elementa Cartesii sint prima rerum principia,* p. 92-98.

143. Ad **Cartesii** de principiis fabulam accedimus. Itaque postquam ille professus fuit, ab se non aliam materiam agnosci præter eam, quam Geometræ quantitatem vocant ; postquam corporis essentiam in trina dimensione constituit, mundumque indefinitum posuit, ac nullum dari posse vacuum pugnacissime defendit ; postquam suam obligavit fidem, nihil ab se admissum iri ut verum, quod *non ex communibus notionibus tam evidenter deducatur, ut pro mathematica demonstratione sit habendum* ; ita demum hypothesim contingit suam. I. ponit unam, eandemque materiam corporum mundanorum in quaslibet partes divisibilem, et jam reipsa in multas divisam. Deinde nescire se profitens, quam magnæ sint partes illæ materiæ, et quam celeriter moveantur, et quos describant circulos, propterea quod potuerint | innumeris modis temperari, ait II. Liberum cuique esse quidlibet assumere, modo cum experientia consentiat. Post hæc III. supponit, materiam omnem fuisse a Deo divisam in particulas quamproxime æquales, *easque omnes tantundem motus in se habuisse, quantum jam in mundo reperitur, et æqualiter fuisse motas, tum singulas circa propria sua centra, et separatim a se mutuo, ita ut corpus fluidum componerent, qualem cœlum esse putamus ; tum etiam plures simul, circa alia quædam puncta æque a se mutuo remota, et eodem modo disposita, ac jam sunt centra fixarum : necnon | etiam circa aliquanto plura, quæ æquent numerum planetarum... Sicque tot varios vortices componerent, quot jam astra sunt in mundo.* Quoniam vero hæ particulæ, in quas primum divisa materia fuit, sphæricæ non erant, sed nec esse potuerant, ne vacuum daretur, **Cartesius** ponit IV. illas fuisse angulares : motu autem attritis angulis, in sphæricas evasisse. Repugnante autem vacuo, intervalla quæ certe relinquere debent particulæ sphæricæ, cum inter se conjunguntur, impleta fuisse ramentis materiæ minutissimis ex angulorum attritione relictis. V. ponit ramenta ista fuisse alia aliis minora, et minora quidem facilius moveri potuisse. Ex hisce autem commentis, VI. denique | tria sua **Cartesius** elementa confingit. Primum est materia illa subtilissima ex angulorum attritione proveniens, quæ, ut ille scribit, *tantam vim habet agitationis, ut aliis corporibus occurrendo, in minutias indefinitæ parvitatis dividatur.* Ex hac materia prodiisse Solem, et Stellas fixas ille docet. Alterum elementum est materia *divisa in particulas sphæricas* atque ex hac Cælum compactum fuisse tradit. Tertium elementum ab ipso ponitur *constans partibus vel magis crassis, vel figuras minus ad motum aptas habentibus*. Hujus autem tertii elementi particulas, *striatas* ille vocat, eo quod transeant per angusta spatia triangularia in medio trium globulorum secundi elementi ; ideoque concipi ipsas vult | *tamquam exiguas columnas, tribus striis in modum cochlearum intortis excavatas.* Ex hoc tertio elemento efformatam esse contendit terram cum Planetis, et Cometis. Atque hæc est **Cartesiana** de triplici elemento hypothesis, quam ille a Jordano Bruno confictam accepisse dicitur.
144. Videntur autem hæc elementa esse rerum naturalium principia. I. quia totidem admitti debent principia, quot sunt præcipua corporum naturalium discrimina : hæc autem tria sunt : nam corpora alia sunt lucida, in quibus materia subtilis dominatur : alia pellucida, quæ constant materia secundi elementi : alia opaca, quæ componuntur ex tertio elemento. Hæc igitur tria elementa sunt principia rerum naturalium.
145. II. Principia debent esse explorata, ac perspicua. Sed nihil potest esse clarius extensione, figura, et motu, ex | quibus existunt tria elementa **Cartesii**. Hæc igitur sunt rerum naturalium principia.

Propositio. *Cartesii particulæ, sive elementa nequeunt esse prima rerum naturalium principia.*

146. Prob. Particulæ illæ, si forte darentur, essent extensæ ; nam essent corpora : corporis autem essentia ex **Cartesio** in extensione consistit, ut supra dictum est. Extensio autem sine partibus esse non potest. Igitur

particulæ illæ constarent ex partibus. Essent ergo compositæ. Sed prima principia debent esse incomposita, alioqui fierent ex aliis : quod est contra rationem primorum principiorum, ut supra diximus. Particulæ ergo illæ nequeunt esse prima rerum naturalium principia.
147. Hinc vero constat, nec variam illarum particularum texturam, figuram, et motum, esse posse primum principium intrinsecum diversitatis rerum naturalium. Nam textura, figura, et motus consequuntur illas particulas, tamquam earum modi, ut **Cartesiani** loquuntur. Si ergo ipsæ particulæ nequeunt esse prima rerum principia, multo minus earum textura, figura, et motus. |
148. Ad primum respondemus, ex ipsis **Cartesii** principiis argumentum illud cui Purchotius fidit, concidere : nam triplex illa diversitas corporum in tellure reperitur : ignis lucet ; vitrum est pellucidum ; lapides opaci sunt. Unde hæc diversitas, si tellus ex **Cartesio** composita est ex particulis tertii elementi, præsertim in tertia regione, ubi recensita corpora reperiuntur ? Fortasse e Sole, exque Stellis fixis dilapsa est materia subtilis, ut ignis luceret ; cæli vero globulos suos vitro mutuati sunt, ut esse pellucidum posset.
149. Ad secundum dicimus, principia constitutionis rerum obscura esse ; nam si perspicua forent, cur tantopere de rerum naturis Philosophi decertarent ? Extensio vero, figura, et motus etsi perspicua sint, inter principia recenseri nequeunt, ut dictum est.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. V*, De corporum extensione,* art. 1, *Utrum extensio ita consequatur substantiam corpoream, ut hæc sine illa existere nullo modo possit,* p. 149-150.

240. Jam supra ostendimus adversus **Cartesium**, extensionem, sive trinam dimensionem ad corporum essentiam non pertinere. An vero extensio sit accidens absolutum reipsa distinctum a substantia corporea, aptius discutiemus in Metaphysica, ubi de accidentium non modo substantirum corporearum, sed etiam substantiarum spiritualium ab iisdem substantiis distinctione disputabimus.
241. Videtur autem substantia corporea existere posse sine extensione, I. quia dimensiones panis possunt existere in Eucharistia sine substantia panis, ut supra dictum est. Ergo multo magis substantia sine dimensionibus ; magis enim dimensiones a substantia, quam substantia a dimensionibus pendent.
242. II. Corpus Christi in Eucharistia realiter est præsens sine actuali extensione ; est enim ibi ad modum substantiæ, ut supra diximus. Potest igitur substantia corporea existere destituta omni extensione. |

Propositio. *Extensio, sive trina dimensio ita afficit substantiam corpoream, ut nullum possit sine illa saltem connotata, corpus existere.*

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. VI*, De corporum divisibilitate,* art. 2, *Utrum magnitudo continua componatur ex partibus in infinitum divisibilis,* p. 161-162.

264. **Cartesiani**, qui ut supra diximus, corpus physicum a corpore mathematico non secernunt, arbitrantur, quodlibet corpus componi ex partibus in infinitum divisibilibus. Idipsum tenent Philosophi recentiores plerique alii. At S. Thomas concedit quidem, corpus mathematice acceptum, pro ipsa scilicet quantitate, seu trina dimensione, secundum se esse divisibile in infinitum ; id tamen negat de corpore naturali.
265. Videtur autem nulla prorsus magnitudo esse divisibilis in infinitum, I. quia si quæ magnitudo posset dividi in infinitum, jam aliquod corpus constaret ex infinitis partibus. Esset igitur infinite extensum : quod plane repugnat.
266. II. Si quæ esset magnitudo divisibilis in infinitum, corpora quæ tali magnitudine addicerentur, non possent se tangere ; non enim tangere se possent, nisi penes extremas superficies : extrema autem assignari nequeunt in infinito.
267. III. Magnitudo illa divisibilis in infinitum non posset pertransiri, nisi tempore infinito, et motu infinito. Sed neque motus, neque tempus possunt esse infinita ; tempus enim, sicut et motus habent prius, et posterius, adeoque principium, et finem, quæ in infinito esse non possunt. Nulla igitur esse potest magnitudo divisibilis in infinitum. |

Propositio. *I. Magnitudo continua mathematice accepta, divisibilis est in infinitum* : *II. Si autem physice accipiatur, dividi quidem potest in partes exilissimas ; III. Sed in infinitum dividi nequit.*

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. IX*, De corporum figurabilitate,* art. 2, *Utrum particulæ aliquotæ corporum eamdem habeant figuram,* p. 206-207.

361. Particulæ corporum aliquotæ aliæ sunt majores, aliæ minores, aliæ minimæ. De majoribus, et minoribus, quod aliæ sunt similium, aliæ dissimilium figurarum, ad sensum patet, multoque magis ex observationibus microscopiorum. De minimis olim Epicurus arbitratus fuit, eas esse diversimode figuratas, ut supra diximus. **Cartesius** vero, ut etiam dictum est, materiam posuit a Deo primum decisam in partes quam proxime æquales. Musschenbroeckius vero, | et Leibnitius fatentur, se ignorare, an eædem sint, vel diversæ minimorum corpusculorum figuræ.
362. Videntur autem particulæ minimæ corporum esse, fater se diversimode figuratæ. Nam ipsæ retinent aliquam magnitudinem. Nusquam igitur repugnat in eis concipere superficies planas, orbiculares, angulosas, regulares, irregulares ; ideoque et diversas figuras.
363. II. Varietas corporum majorum, et minorum explicari non potest : nisi ex variis figuris particularum minimarum. Oportet igitur constituere diversitatem figurarum in minimis particulis.

Propositio. *Per sensus determinari a nobis non potest figura minimarum particularum ; II ratione tamen conficitur, eas omnes ejusdem esse figuræ.*

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XI*, De Vacuo,* art. 2, *Utrum detur vacuum coacervatum, et disseminatum,* p. 243.

438. Magna inter veteres, junioresque Philosophos de hac re dimicatum concertatione est : nam ex veteribus Democritus, Leucippus, Epicurus, quique eos sequuti sunt ; ex recentioribus vero Gassendus, Nevvtonus, Nevvtonianique universi pro vacuo pugnarunt. Contra, vacuum nullum in natura esse, docuerunt ex veteribus Plato, Zeno, Aristoteles, ipsorumque Sectatores ; ex junioribus autem **Cartesius**, **Cartesianique**, Leibnitius, Hartsoeckerus, aliique.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XIII*, De Viribus Corporum generatim,* art. 1, *Utrum vires corporum distinguatur ab actione, et motu,* p. 274-277.

501. Cum **Cartesius**, **Cartesianique** omnem agendi vim intrinsecam corporibus denegarint, ut supra diximus, nullam vim activam intrinsecam corporibus denegarint, ut supra diximus, nullam vim activam intrinsecam in corporibus agnoverunt, sed solummodo vim quandam ad permanendum in statu, in quo sunt. Leibnitius autem | non modo vim activam in corporibus agnovit, sed eam longe differre ait a potentia activa Scholasticorum, quod vis activa non sit sola agendi possibilitas, sed agendi conatum involvat. | Franciscus autem Jacquier vires corporum quandoque secernit | ab actione, quandoque non secernit a motu, quandoque ait, esse ipsos effectus dato tempore productos. At vero P. De Turre statuit, cujuscumque corporis vires ab ejus actione distinguendas esse.
502. Videntur autem vires corporum non distingui ab actione, et motu, I. quia posita substantia corporea, et actione, ac motu, habetur totum id quod requiritur ad producendum effectum. Superfluæ sunt igitur vires corporeæ distinctæ ab actione, et motu.
503. II. Vires ejusmodi vel essent in agente, vel in patiente. In patiente non sunt ; nam patiens non agit. Sed neque in agente sunt ; siquidem agens operari non posset, nisi vim illam diffunderet in passum : explicari autem nequit, quomodo virtus in agente existens diffundatur in passum, et in spatium medium, si agens distet a passo.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XIV*, De vi attractionis,* art. 1, *Utrum admittenda sit universalis attractio Nevvtoniana,* p. 305-306.

549. Ad tertium respondere facile possent **Cartesiani**, timendum non esse, ne telluris moles dissolvatur, si mutua non sit tendentia partium corporum : nam dicent sufficere materiam subtilem, qua corpora, eorumque partes comprimantur. Nos autem respondemus cum S. Thoma, telluris molem non dissolvi, quia omnes ejus partes ob gravitatem tendunt versus centrum, non quod a centro attrahantur, sed quia ita sunt constitutæ, ut per gravitatem versus centrum tendant. Etiamsi vero partes æqualis, nisi æqualis esset quantitas materiæ, et

superficierum, et distantiæ : nam si major in una quam in altera esset vel materiæ quantitas, vel | superficiei, vel distantiæ ; quis non videt, majorem in una, quam in altera debere esse attractionem ? Qui ergo fieri potest, ut partes terræ *utcumque inæquales* mutuo se æqualiter attrahant ? Neque absurde diceretur minor attractio cedere majori ; nam si mutua inter ferrum et magnetem statueretur attractio, magnes majoris quantitatis traheret ad se ferrum, et cum ipso conjungeretur, quin tamen magnes, et ferrum simul conjuncta pergerent recta moveri in infinitum.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XV*, De viribus centripeta, centrifuga, et centrali,* art. unic. *Utrum admittendæ sint ejusmodi vires,* p. 317-318

567. Jampridem veteres Philosophi, et cum ipsis S. Thomas triplicem hanc vim agnoverunt ex triplici | motu simplici, nimirum ad centrum, a centro, et circa centrum. **Cartesiani** quoque duplicem in particulis secundi elementi motum admisere, alterum, quo ad vorticis centrum accederent ; alterum, quo a centro sui motus recederent.
568. At vero Nevvtonus, Nevvtonianique exemplo utentes, quo Plutarchus et **Cartesius** usi fuerant, lapidis nempe fundæ impositi, et in orbem circumacti, docent, quamlibet lineam curvam considerari posse tamquam duabus viribus genitam, quarum una vis *centrifuga* dicitur, sive *tangentialis*, qua videlicet corpus lineam rectam describit tangentem arcum, et ab arcu et centro conetur recedere ; veluti est vis lapidis fundæ impositi, qua in manum agit, et in tangente pergere, atque a manu quæ centrum illius motus occupat, recedere nititur. Altera *centripeta* vocatur, qua scilicet corpus a tangente retrahitur, et versus centrum dirigitur, ut in eodem exemplo lapidis est vis, qua manus fundam tenens, lapidem circumagit, trahitque versus centrum motus. Utraque hæc vis appellatur *centralis*, quia per utramque corpus movetur in curva circa centrum.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XVI*, De vi Gravitatis,* art. 2, *Utrum admittenda sit hypothesis Cartesiana de gravitatis origine, p.* 329-335

591. Explicaturus **Cartesius**, in quo consistat terrestrium corporum gravitas, ad suos confugit vortices. Itaque cum ex **Cartesio** globuli secundi elementi in gyrum acti una cum reliqua parte materiæ primi elementi, quæ supererat post solis, stellarum et planetarum formationem, varios constituissent vortices, in quibus sol, stellæ, et planetæ (quos inter tellurem enumerat) revolverentur ; contigisse docet, ut iidem globuli in gyrum moti, e centro motus recederent : cum | autem recedere non possent, nisi partes illas terrestres, in quarum locum succedunt, quæque tanta non pollent vi recedendi a centro, infra se deprimerent, ac propellerent versus centrum ; evenisse ait, ut corpora terrestria hoc modo versus centrum impulsa, gravia dicerentur. Atque in hoc eorum gravitas posita est ex mente **Cartesii**.
592. Animadvertentes **Cartesii** sectatores obscuram esse hanc ejus explicandæ gravitationis caussæ rationem, et fabellæ simillimam, ad ætherem confugerunt circa centrum in orbem actum ; ita ut dum æther more corporum in gyrum actorum e centro ad peripheriam enititur, cetera corpora minus apta ad hunc assequendum motum, detrudat.
593. Non multum distare ab hac opinione videntur Hugenius, Perrahultius, Du-Hamelius, Leibnitius, | ceterique qui gravitatis caussam fluidissimæ cuidam substantiæ impellenti adscribunt. Hi vero omnes gravitationem non ad intrinsecum principium referunt, sed ad extrinsecum impellens.
594. Videtur autem ita explicanda gravitatis origo : nam I. ita constat experimento **Cartesii**. „Ut intelligas (scribebat ille P. Mersenno) quomodo materia subtilis, quæ circa terram rotatur, corpora gravia versus centrum impellat : imple vas aliquod rotundum minutioribus globulis plumbeis, his intermiscens frusta quædam ligni, aut cujuscumque alterius materiæ plumbo levioris : atque hoc vas circa centrum suum celeriter convertens, reperies, ab isto plumbo versus centrum vasis propelli particulas ligneas, aut lapides, quamquam multo grandiores plumbeis, per quas materiam subtilem repræsento„. Hæc igitur materia subtilis in gyrum acta vim habet propellendi ad centrum corpora crassiora.
595. II. Idipsum constat experimento Hugenii, qui | in vas cylindricum aqua plenum injecit ceram hispanicam contritam ; et aqua in vertiginem acta, invenit, minutias ceræ, quæ in vasis fundo hærebant, ad margines undique excurrisse. At vero motu vasis cohibito, reperit, minutias omnes ceræ ad centrum confluere, illuc impulsas ab aqua quæ pergebat in gyrum moveri. Sicut igitur aqua in orbem mota potest particulas ceræ ad centrum trudere ; ita et materia subtilis circulariter mota, poterit corpora crassiora in centrum impellere.

Propositio. *Origo gravitatis non recte explicatur per impulsum sive globulorum, sive materiæ subtilis, sive cujuscumque fluidi in gyrum actorum.*

596. Prima ratio ex S. Thoma. Si origo gravitatis adscibatur impulsui, jam gravia deorsum pellentur ab extrinseco impellente. Gravia autem ab extrinseco impellente non pelluntur deorsum : nam in iis, quæ ab extrinseco impelluntur, eo tardior est motus, quo majus seu majoris ponderis est mobile ; nam eadem virtus impellentis eo minus vincit resistentiam mobilis, quo resistentia major est : in mobili autem majoris ponderis major est resistentia. Si ergo corpora ab extrinseco impellente moverentur deorsum, quo corpora majoris essent ponderis, eo tardius moverentur. Constat autem id esse falsum.
597. Altera ratio ex eodem S. Thoma. Si motus gravium impulsui adscriberetur, esset violentus : nam corpora impulsa reniterentur vi ab exteriori principio illatæ ; in quo | violentia consistit, ut supra dictum est ; neque ab impellente inclinationem accepissent tendendi deorsum. Ea autem quæ violenter moventur, eo tardius moventur, quo magis a motore recedunt, ut patet in projectis. Si ergo motus gravium ad impulsum referatur, non erit acceleratus : quod est contra experientiam.
598. Tertia ratio ex ipso D. Thoma. Nullum corpus illuc violenter fertur, unde violenter dimovetur. Atqui gravia violenter dimoventur a loco deorsum. Non ergo violenter feruntur deorsum, et per impulsum.
599. Quarta ratio etiam ex S. Thoma. Gravitas est proportionalis materiæ ; cum enim in corporibus gravibus quælibet pars sit artefacta gravitate, tot sunt gravitates, quot sunt partes materiæ. Jam vero gravitas proportionalis materiæ non esset, si oriretur a vi centrifuga materiæ vorticis ; fieri enim non posset, quin in quolibet vortice præter materiam vorticis essent etiam pleræque aliæ partes heterogeneæ, puta vapores et exhalationes a corporibus præsertim fluidis jugiter manantes ; quæ quidem particulæ heterogeneæ habere nequirent eandem vim centrifugam, quam haberet materia vorticis. Itaque materia vorticis non semper impelleret vi proportionali materiæ corporum. Præterea fluida illa materia vorticis ageret potius in ratione voluminis, seu superficierum corporum impulsorum, | quam in ratione massarum, sive materiæ eorundem ; ideoque non esset proportionalis materiæ, oriri non potest a vi centrifuga materiæ vorticis.
600. Quinta ratio item ex S. Thoma. Corpora gravia feruntur in superficiem terræ ad perpendiculum. Atqui admissa hypothesi **Cartesiana**, non ad perpendiculum, sed oblique in superficiem terræ ferrentur ; siquidem materia vorticis per vim centrifugam revolvi deberet circa terræ axem per circulos æquatori parallelos ; ideoque cogeret corpora per lineas perpendiculares axi telluris, obliquas vero superficiei telluris, quia non omnes illæ lineæ tenderent ad centrum. Corporum igitur gravitas non recte explicatur per impulsum materiæ vorticis.
601. Denique quis credet, globulis, qui auctore **Cartesio**, materiæ sunt adeo fluxæ, et imbecillæ, ut cujuscunque | corporis occursu sine ullo discrimine quaquaversum ferantur, tantam inesse vim, ut ingentem propellant lapidem ? Quis credet, globulos, dum conantur recedere a centro sui motus, deorsum corpora impellere, et non potius propellere sursum ? Quis non sentiret globulorum impulsum, si tanta vi pollerent propellendi corpora ? Et cum globuli illi in orbem simul cum vortice jugiter moverentur, quis non videt, corpora si quæ impellerent, non quidem per rectam lineam, sed per curvam cadere debere ?
602. Ad primum respondemus, et ipsi Hugenio non fuisse probatum experimentum illud **Cartesii**, minusque idoneum fuisse visum ad demonstrandum gravitatis effectum : nam inde consequens foret, corpora, quæ minus materiæ continent, uti est lignum, plus ponderis habere ; etenim ex **Cartesii** experimento globuli plumbei, qui plus materiæ continent, impulerunt versus centrum vasis particulas ligneas, et lapideas quæ minus materiæ continebant.
603. Ad secundum respondemus cum S. Thoma, experimentum Hugenii præsupponere differentiam gravitatis in particulis ceræ, et aquæ : nam ideo particulæ ceræ ad centrum confluxere, quia erant aqua specifice graviores.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XVI*, De vi Gravitatis,* art. 4, *Utrum gravitas universis insit corporibus,* p. 340-341

612. Jampridem Epicurus arbitratus fuit nullum dari corpus absolute leve ; atque proinde universa corpora, | nullo excepto, gravia esse, et levia nonnisi relative dici. Hanc opinionem fere communiter juniores Philosophi sunt amplexi, nec igne, nec luce exceptis ; quamquam **Cartesiani** contendant, corpora universa nec gravia, nec levia dici posse. At vero Evangelista Torricellius affirmat, omnia corpora esse absolute levia (serio ne, an joco, nescimus) conarique ad peripheriam potius, quam ad centrum accedere. Aristoteles autem, et cum ipso S. Thomas docent, corpora cælestia neque esse gravia, neque levia ; ex elementis vero suapte natura terram esse

graviorem aqua, aquam graviorem aere, aerem gravem respectu ignis, ignem esse levem simpliciter, et absolute ; mixta autem eo esse gravior, aut leviora, quo magis, aut minus ad unum, aut alterum elementum accedunt.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XVI*, De vi Gravitatis,* art. 6, *Utrum gravitas universis insit corporibus, p.* 358-363.

636. Ad argumentum in contrarium respondemus dist. min. pendulum quod longius est, a majori gravitate urgetur, si cetera sint paria, conc. si paria non sint, nego. Admissis | etiam observationibus inter se minime congruentibus Astronomorum, qui e Gallia versus Polos, et Æquatorem, non in diversam corporum gravitatem, sed in alias prorsus caussas esse rejiciendam. Ac primum quidem experiendo compertum est, pendulum in horologiis ubique terrarum variationibus esse subjectum, pro diversitate frigoris, et caloris. Quod autem magna sit diversitas caloris, et frigoris in locis versus Polos, et versus Æquatorem, omnes norunt. Quid ergo mirum, | si pendulorum in iis locis diversa sit oscillatio ? Difficile est in una eademque Urbe horologia plura invenire, quorum pendula sint isochrona, non dicam uno anno, vel uno mense, sed uno, aut altero die ; et tantopore mirabimur de varia pendulorum oscillatione ab Æquatore ad Polos ? maxime, quia auctore Nevvtono, differentia inter pendula sub Æquatore, et in observatorio Regio Parisiensi non est minor, quam unius lineæ cum quadrante, nec major, quam linearum duarum cum duabus tertiis. Richerius etiam non aliam differentiam diurnam in suo horologio oscillatorio reperit Cayennæ, et Parisiis, quam 2’.28’’ etiamsi differentia latitudinis inter Cayennam, et Parisios sit 43.° 50’ : nam Cayenna quinque gradibus distat ab Æquatore, Urbs Parisina distat ab Æquatore gradibus 48. 50°. Ibi ergo notabilior debet esse differentia oscillationis penduli, ubi notabilior est excessus frigoris, vel caloris. Addimus, plures alias esse potuisse hujusce | differentiæ caussas, ac præsertim illam, quam prodidit Maupertuisius referens, Pelli in Lapponia, ubi ipse cum aliis observationes instituebat, magnam esse copiam ferri, et magnetis. Porro si pendula erant ex ferro, aut machinis adjacebant ex ferro constantibus, nemo non videt, aliquam debuisse esse declinationem in pendulis ex attractione magnetis. Certe horologia, ad quæ vibrationes pendulorum expendendæ erant, rotis ferreis, et elasterio constabant, in quæ | agere vis magnetica debuit. Quid ergo certi haberi per illas observationes potest ad constituendam differentiam gravitatum ex oscillationibus pendulorum ? Denique nonne Recentiores ipsi Philosophi oscillationum illarum varietatem explicant per caussas extrinsecas, **Cartesiani** per doctrinam vorticum ; alii per diversam densitatem telluris sub Æquatore, et sub Polis ; alii per motum terræ diurnum circa proprium axem. Hæ autem omnes caussæ extrinsecæ sunt, neque proinde mutare queunt gravitatem quæ junioribus | ipsis Philosophis consentientibus, *naturalis* est, et *universalis* corporum vis, competens omnibus materiæ partibus.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens,* Quaest. XVII*, De Motus natura,* art. 1, *Utrum motus recte definiatur ab Aristotele, p.* 365-367.

638. Aggrediens Aristoteles definire motum : *Actus,* inquit *ejus quod est potentia, ut est tale, motus est.* Hac definitione nihil esse obscurius, arbitrati juniores Philosophi ad alias sese definitiones converterunt. **Cartesius** motum localem (neque enim alium ignovit) descripsit *translationem unius partis materiæ, sive unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt, et tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.* Gassendus motum cum Epicuro definiit, *migrationem de loco in locum.* | P. Jacquier motum definit, *continua loci mutatio.* Musschenbrœkius autem motum absolutum definit : *est sibi succedens existentia corporis in diversis partibus spatii Universi immobilis*. At vero Clericus, et Lockius putant, motum esse simplicissimam corporum modificationem, quæ | nequeat definitione fieri clarior. Quibus subscribit Turrius, arbitrans, *motum nulla posse definitione complecti, sed solummodo descriptione,* eoquod *motus natura, ut et aliarum rerum, nos prorsus lateat.*

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XVII, *De Motus natura*, art. 2, *Utrum motus reipsa distinguatur a subjecto mobili*, p. 370-372

644. Cum juniores Philosophi sibi constituissent, nullam aliam entitatem admittere præter corpora, et mentes ; mirum est, in quas sese conjecerint angustias, ut explicarent quid sit illud, quod corpori, cum movetur, accedit ? quomodo motus de uno in aliud corpus transeat ? quomodo in occursu duorum corporum motus aliquando

extinguatur ? **Cartesius** docuit, nihil aliud esse motum, quam corpus ipsum quod movetur, adeoque motum esse corporum *modum,* sive *modificationem* a corpore reipsa indistinctam. In eadem | sententia ceteri recentiores convenerunt. Sed cum animadverterent, corpori, cum movetur, aliquid reipsa accedere, quo prius destituebatur, dum erat in quiete positum ; nec vellent tamen admittere, motum esse quidpiam a corpore reipsa distinctum ; rem varie, sed frustra, exponere sunt conati. Sturmius motum reposuit *in mero Summi Creatoris beneplacito, et arbitrio,* quo fiat, ut materiæ partes nunc in uno, nunc in altero existant loco. Similia scribit Gamachius putans, motum esse effectum Divinæ voluntatis, per quam mutetur relatio distantiarum inter corpora. Hambergerus motum explicare tentavit per proximam tendentiam, et conatum ; putavitque, novum motum nihil esse aliud, quam determinationem vis a Deo corpori concretæ. Musschenbrœkius ignorantiam hac in re suam aperte fassus est ; et similiter Hartsoekerus, Clericus, Turrius. Denique, | ut ceteros omittamus, P. Jacquier rem totam paucis conficit, *omissis quæstionibus plurimis, et omnino superfluis de natura motus.*

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XXI, *De Quantitate motus*, art. 2, *Utrum eadem semper in Universo sit quantitas motus,* p. 398-399.

707. Cum omnem agendi vim corporis denegasset **Cartesius**, unique Deo motus omnes rerum corporearum adscripsisset, contendissetque nullum motum neque ab ipso Deo de novo produci, ut supra diximus ; statuit, eandem motus quantitatem semper esse in tota rerum universitate, quamvis in singulis ejus partibus mutetur, eo quod tantundem motus unum corpus deperdat, quantum in alterum transfert. Leibnitius autem negat quidem, eandem motus | quantitatem semper in mundo conservari ; affirmat vero, easdem conservari semper vires motrices.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XXI, *De Quantitate motus*, art. 2, *Utrum eadem semper in Universo sit quantitas motus,* p. 399-402.

711. Prob. 1. P. ratione S. Thomæ. Si eadem semper in Universo perseveraret quantitas motus, nullus in nobis | posset esse motus, qui ante in aliis corporis non fuisset. Atqui, **Cartesio** ipso fatente, innumeri ferme in nostro corpore motus quotidie fiunt ad voluntatis nostræ nutum, qui nunquam in aliis extitere corporibus ; possumus enim ad arbitrium ambulare, scribere, loqui etc. vel ab iis motibus cessare. Falsum est igitur, eandem semper in Universo perseverare quantitatem motus.
712. Præterea, docente **Cartesio**, materiæ particulæ initio fuerunt a Deo motæ æqualiter tum singulæ circa propria centra, et separatim a se mutuo, tum circa alia propria centra, et separatim a se mutuo, tum circa alia puncta. Motus ergo, quem Deus initio particulis materiæ impressit, circularis fuit. Jamvero præter motus circulares, innumeri sunt motus recti ; imo ipso auctore **Cartesio**, omnis motus ex se rectus est. Qua igitur ratione in rerum universitate perpetuo perseverabit eadem quantitas motus a Deo corporibus initio impressa ?
713. Ad hæc : motus est aliquid successivum, nihilque habet præsens præter indivisibile. Quomodo igitur ejus quantitas conservari poterit semper eadem, cum corpora mota innumeras subeant mutationes ?
714. Est etiam in Dynamica demonstratum, in duobus corporibus sibi mutuo occurrentibus, si motus sint oppositi, portionem motus extingui, ut infra dicemus. Non restat igitur ambigendi locus de falsitate **Cartesianæ** positionis.
715. Prob. 2. p. In descensu corporum gravium vis gravitatis qua gravia motum accelerant, magis ac magis confortatur, ut supra diximus cum S. Thoma. Sed vi gravitatis gravia moventur deorsum. Falsum est igitur, vires motrices semper perseverare easdem.
716. Ad primum dicendum, motum neque augeri, neque | diminui sine caussa : caussa autem est vel impetus innatus, vel impetus ab extrinseco agente impressus ; qui quidem impetus possunt augeri, vel minui, absque eo quod oporteat, tantum motus uni corpori detrahi, quantum alteri communicatur.
717. Ad secundum respondemus, ipsam motuum communicationem ostendere, etiam ex **Cartesii** principiis, non posse eandem motus quantitatem in corporibus perseverare : nam vel motus ab uno corpore alteri communicatus, est idem numero motus, vel numero diversus. Si est idem ; igitur idem numero motus de subjecto in subjectum migrat, quod esse non potest, ipso fatente **Cartesio**. Si autem non est idem numero motus ; igitur motus qui erat in corpore motum communicante, periit, et novus productus est motus in corpore, cui communicatur. Ex ipsa igitur motus communicatione constat, eundem in corporibus non conservari motum. Quod ergo corpora eo citius quiescant, quo citius motum aliis communicatur. Neque absolute verum est, corpora eo citius quiescere, quo citius motum aliis communicant : nam corpora dura si in mollia impingant,

statim ad quietem reducuntur, quin tamen motum suum in mollia transferant, alioqui hæc moveri deberent per motum acceptum : quod experimentis adversatur. Quod autem corpora moveri diutius pergant, cum media minus resistunt, caussa est, non quidem minor communicatio motus, sed impetus corporibus impressus, qui eo amplius durat, quo minus ipsi obsistitur.
718. Ad tertium neg. min. quam **Cartesius** adsumit, sed minime probavit ; id enim est in quæstione positum, an Deus certam initio temporis quantitatem motus produxerit, quam neque auctam, neque diminutam in corporibus conservet. Ex quo autem novi motus fiant, nihil detrahitur | Divinæ immutabilitati, atque sapientiæ ; non enim Deus mutatur, etiamsi innumeræ mutationes in rebus creatis contingant ; neque minus est sapiens, si motus pereant ; quippe ex immobili suæ voluntatis decreto, exque ineffabili ejus sapientia omnia eveniunt, nec aliter quam ipse statuit, nutantur res, aut consistunt.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XXV, *De Motu locali*, art. 1, *Utrum omnis corporum motus natura sua sit rectus*, p. 442-443

817. Motus localis alius est rectus, alius circularis, alius mistus. **Cartesius** arbitratus est, omnem motum ex se rectum esse, nec circularem fieri, nisi propter occursum aliorum corporum, et ex omni materia simul mota. | In eandem sententiam Nevvtoniani concessere, arbitrati, unum tantum motum per lineam rectam esse corporibus congruentem, motus autem per curvas quaslibet mistos esse, et componi ex duplici motu, scilicet per tangentem ex vi centrifuga, et per recessum a tangente, ex vi centripeta.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XXV, *De Motu locali*, art. 4, *Utrum caussa motus continuati projectorum sit aer recurrens, vel accurrens*, p. 459

846. His breviter animadversis, de caussa nunc inquirimus continuati motus projectorum. Et quidem **Cartesius**, Nevvtonianique non aliam assignant, præteer vim inertiæ, qua corpora motum semel impressum retineant, donec ab aliqua resistente caussa motus extinguatur, sive in aliud corpus transferatur. Epicurei ad atomos confugiunt, quæ a motore in mobile transeunt. Alii ad solum impetum provocant a projiciente impressum projecto. Alii ex aere tantum, sive recurrente, sive accurrente, urgenteque a tergo corpus projectum, continuati motus caussam arcessunt.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XXV, *De Motu locali*, art. 6, *Utrum motus reflexus pendeat ab elaterio*, p. 474-475

884. Plurimas ad explicandas diversitates motuum in corporum conflictu **Cartesiani** statuerunt leges, quas qui scire cupit, adire poterit Regium, Rohaultium, aliosque plurimos, qui **Cartesio** fuerunt addicti ; nam illarum alias inutiles, alias manifeste falsas, posteriores Physici deprehenderunt. Nevvtoniani varias etiam excogitarunt leges. Sed cum eædem respiciant corpora vel perfecte elastica, vel nulla prorsus elasticitate prædita, qualia nulla reperiuntur in rerum natura, | ipsis Nevvtonianis fatentibus ; videntur positæ pro corporibus mente abstractis, et idealibus. Tempus igitur tereremus inutiliter, si de iis singulis agere aggrederemur. Si quis otio abundat, apud Nevvtonianos passim eas reperiet.

Vol. II-1, *Phisicam Generalem complectens*, Quaest. XXVI, *De Quiete*, art. 2, *Utrum in corporibus detur quies absoluta*, p. 495-496

928. Ad primum respondere possemus cum Nevvtonianis fluidum illud omnia pervadens, commentitium esse, præsertim ex Boylei principiis ; is enim, ut supra observavimus, nullum corpus admisit absolute leve. Jam igitur si daretur fluidum illud æthereum mobilissimum, quod universa corpora impelleret, cum et ipsum corpus esset, oporteret et ipsum gravitate esse præditum. Necesse igitur esset reperire aliud fluidum, a quo æthereum illud fluidum impelleretur : nam ex **Cartesii** sententia de *materia subtili*, ad quam Boyleus provocat, gravia non descendunt, nisi quia impelluntur a materia subtili. Videtur ergo Boyleus sibi aperte contradicere : nam ex una parte ad negandam absolutam quietem confugit ad fluidum æthereum, sive ad *materiam subtilem* **Cartesii**, quæ omnis | gravitatis expers a **Cartesio** ponitur ; et ex alia parte negat levitatem absolutam.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. II, *De Mundi Unitate*, art. 2, *Utrum plures Mundi dari possint*, p. 48-49

103. Qui mundum effectum necessarium esse dicunt Divinæ naturæ, cum universa possibilia negent, negant proinde, plures dari mundos posse. Idipsum **Cartesius** negavit, quamvis alia nixus ratione.
104. Videtur autem ita dicendum I. quia ut S. Thomas docet *necesse est, quod omnia ad unum mundum pertineant.* Et rursus ex eodem S. Thoma, *mundus constat ex tota materia. Non enim est possibile esse aliam terram quam istam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium ubicumque esset. Et eadem ratio est de aliis corporibus, quæ sunt partes mundi.* Censet ergo S. Thomas, plures mundos fari non posse.
105. II. Quæ rationes probant mundi existentis unitatem : videntur etiam probare, pluralitatem mundorum dari non posse. Ita ergo dicendum.
106. III. Mundus rerum omnium universitatem complectitur. Non potest igitur esse nisi unus ; quid enim esse potest reliquum præter universitatem omnium rerum ?
107. IV. Materia qua mundus constat, non potest esse, nisi una ; eaque occupat omnia omnino spatia imaginabilia. Etsi ergo infiniti essent mundi, non possent, nisi una eademque materia constare, omnia spatia occupante ; nec proinde possent esse plures. |

Propositio. *Si spectetur absoluta Dei potentia, potest Deus alios, et alios mundos producere in infinitum.*

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. II, *De Mundi Unitate*, art. 2, *Utrum plures Mundi dari possint*, p. 50-51

113. Ad quartum, etiam admissa unitate illa materiæ, quid prohiberet, quominus Deus materiam illam unam in varias portiones divideret, et in varios, diversosque ordines | componeret, quibus plures mundi inter sese disjuncti, separatique essent in spatiis illis imaginabilibus, quæ **Cartesius** confingit ? Mundus non est unus, nisi propter unitatem ordinis, ut dictum est. Si ergo portiones illæ essent in plures diversos ordines distributæ, plures quoque mundi existerent. Negamus autem unitatem illam materiæ in infinitis spatiis imaginabilibus, quæ sint vera corpora : nam Deus qui hunc mundum condidit, tantam materiæ quantitatem creavit, quanta eidem mundo satis erat. Quod si alios condere mundos vellet, tantum novæ materiæ crearet, quantum eorum constitutio postularet.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. IV, *De figura Mundi*, art. 1, *Utrum mundus sit infinite extensus*, p. 78-79

157. Seleuci sententiam amplexus fuit **Cartesius**. Leibnitius autem quamquam concedat, *Deum, absolute loquendo, efficere potuisse Universum materiale extensione finitum ;* nihilominus autumat, *contrarium conformius esse ejus sapientiæ.* Eadem videtur esse Turrii sententia : nam si spatium, ut ipse docet, est substantia prima inter extensas, eaque | illimitata, nullus videtur esse mundi terminus, nisi forte substrantia illa, quamvis extensa, dicatur ad mundum non pertinere.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. IV, *De figura Mundi*, art. 1, *Utrum mundus sit infinite extensus*, p. 81-82

161. Præterea, si mundus esset extensione infinitus, sive ut loquitur **Cartesius**, *nullos extensionis suæ fines haberet,* sequeretur I. Deum non potuisse mundum efficere neque minorem, neque majorem ; non quidem majorem, quia nihil potest esse majus eo, quod nullos extensionis suæ fines habet : nec etiam minorem ; etenim quibuscumque decisis partibus, mundus nullos extensionis suæ fines haberet : nam remanerent spatia occupata ab illis decisis partibus : ea autem spatia essent vera corpora. Sequeretur 2. mundum necessario existere, nec destrui posse : nam si destrueretur, adhuc concipi possent spatia ultra quoscumque mundi destructi fines, eaque destructus, sed adhuc existeret. Sequeretur 3. mundum non fuisse a Deo in tempore productum : nam ante intuitum temporis, poterant concipi spatia illa ; ideoque mundus fuisset ab æterno. | Sequeretur 4. mundum non fuisse a Deo creatum ex nihilo ; præcessissent enim spatia illa quæ vera essent corpora. Sequeretur denique, ut cetera omittamus, mundum esse infinitum per essentiam ; nam licet in Peripateticorum sententia

admittentium corpora componi ex materia, et forma, magitudo infinita, si daretur, non esset infinita per essentiam, quia essentia illius corporis infiniti esset determinata ad aliquam speciem per formam, et ad aliquod individuum per materiam ; in sententia tamen **Cartesii** nullam aliam formam admittentis præter variam partium dispositionem, et constituentis essentiam corporis, sive materiæ in trina dimensione, mundus esset per essentiam infinitus ; non enim determinari posset ad aliquam speciem per formam, quandoquidem nulla determinata posset esse dispositio partium : nam si determinata hæc foret, determinata quoque esset figura, quæ consurgit ex determinata partium dispositione : figura autem termino, vel terminis comprehenditur ; quare mundus extensionis suæ fines haberet. Nec etiam posset determinari ad aliquod individuum per materiam ; hujus enim essentia in trina dimensione consisteret ; hæc autem trina dimensio esset ut spatia, quæ nullos extensionis suæ fines haberent. Mundus igitur per essentiam esset infinitus : quod ut jam ante notavimus, ad Pantheismum accedit.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. V, *De Mundi duratione*, art. 2, *Utrum sit futura orbis terrarum conflagratio*, p. 96-97

188. Qua autem ratione hæc conflagratio sit futura, disputatum fuit inter Philosophos veteres, disputaturque inter Recentiores. Berosus apud Senecam ajebat, tunc *arsura terrena, quando omnia sidera, quæ nunc diversos agunt cursus, in Cancrum convenerint.* Alii illam tribuebant descensui ignis | elementiaris, aut congregationi radiorum corporum cælestium, illorumque reverberationi. **Cartesiani** opinantur, tunc illam esse futuram, cum prævalentibus in Solem maculis, Sol quadam terrea crusta obducetur, et in terram mutabitur ; e-contra vero, erumpens e terræ visceribus ignis, telluris corticem franget, eamque exuret, vastabit, et in Solem convertet. Ad quam sententiam accedere Leibnitius, iique omnes videntur, qui mundani incendii caussam ex eruptione centralis ignis repetunt. Alii vero futuram illam conflagrationem, aut Solis ad terram appropinquationi ; aut meteoris igneis magna copia genitis in atmosphæra telluris, et in terram ruentibus ; aut cometæ redeunti e Solis vicinia tribuunt.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XI, *De Planetis primariis singillatim*, art. 6, *Utrum maculæ solares recte explicentur a junioribus Philosophis*, p. 313-314

536. Jam de hisce maculis variæ extiterunt recentiorum opiniones. Galilæus et Gassendus ex analogia ad ea quæ in terra accidunt, arbitrati fuerunt, maculas solares esse instar nubium. Scheinerus autem quamvis olim putarit, maculas esse sidera heliaca ac veluti Solis satellites, ut Malapertius, Mastrius Rheita, et Otho Guerikius censuerunt ; nihilominus postea | mutata, existimavit eas nihil esse aliud quam vapores, et exhalationes e globo solari tamquam e fornace prodeuntes. In eandem sententiam descenderunt Hevelius, et VVolfius, aliique Recentiores bene multi. At vero Delahirius, cujus opinionem probabiliorem judicat Delalandius, maculas solares consideras tanquam corpora solida innatantia in fluida Solis substantia. **Cartesius** autem, **Cartesianique**, qui ignem in Sole magis lucidum, quam calidum admittunt, opinantur, maculas illas oriri ex particulis striatis, aliisque simul junctis, ac separatis a particulis primi elementi, cum quibus in solari corpore sunt commixtæ ; atque ex iisdem existere fuligines quasdam, et impuritates in Solis atmosphæra, adeo quandoque densas, ut Solis lumen obtundant. Arbitrantur alii, maculas esse densiores quasdam cælestium sphærarum Soli vicinarum partes. Alii demum esse infra Lunam.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XI, *De Planetis primariis singillatim*, art. 6, *Utrum maculæ solares recte explicentur a junioribus Philosophis*, p. 321

551. Ad tertium respondemus, **Cartesium** sibimet, uti frequenter solet, esse contrarium ; cum enim doceat Solem componi ex primo elemento, cælos ex secundo, et terram cum planetis, et cometis ex tertio ; quomodo nunc particulas crassiores, hoc est, tertii elementi in Sole reponit, ut maculas solares explicet ? neque enim ejusmodi particulæ forent parvo numero : nam ex eis maculæ conflari deberent, quæ terram magnitudine vel æquarent, vel excederent. Fortasse particulæ illæ furtim elapsæ ex terra, exque planetis, et cometis, in Solem illapserunt. Verum si hæc dicantur, tota vorticum **Cartesianorum** doctrina corruit.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIII, *De Cometis*, art. 1, *Utrum Cometarum corpora sint mundo coæva*, p. 354-357

607. Quam variæ fuerint de cometis sententiæ veterum Philosophorum, tradunt Aristoteles, Plutarchus, et Seneca. Itaque Anaxagoras, et Democritus, et Zeno Cittiæus arbitrati sunt, cometam esse coagmentationem duarum, aut plurium stellarum errantium. Heraclides autem, et Metrodorus | censuerunt, cometam esse *nubem prælaltam a lumine supero illustratam.* Hos Galilæus fuit sequutus. Plerique Stoicorum in ea fuere sententia, quam describit Seneca inquiens : *Placet nostris, cometas sicut faces, sicut tubas, trabesque, et alia ostenta cæli, denso aere creari.* Qui si loquuti dicantur de liquido æthereo, vel de atmosphæris planetarum, nihil distarunt ab opinione Kepleri, et Hevelii. Pythagoreorum autem quidam arbitrati sunt, *cometam esse stellam ex earum numero, quæ non semper videantur, sed stato tempore sua revolutione exoriantur.* Sive ut Aristoteles refert, *unam ex stellis errantibus, sed longis temporum intervallis apparere, parumque excidere* : *quod Mercurii etiam sideri evenit.* Eandem de cometis, quod sint sidera errantia | mundo coæva amplexati quondam fuerant Ægiptii, atque Chaldæi, iisque magnam partem adhæsit Aristoteles, cumque eo Angelicus Præceptor ; licet enim admittant, | quosdam esse cometas, quorum apparitionis caussa est exhalatio calida, et sicca ; admittunt tamen alios, qui revera sunt stellæ errantes, vel non errantes. Quod autem cometæ sint sidera errantia simul cum aliis ab initio temporis a Deo condita, sententia fuit Senecæ l. 7. Quæst. nat. et Apollonii Myndii apud ipsum, estque receptissima inter Philosophos recentiores ; quamvis Bernoullius cometas quidem inter planetas recenseat, sed putet, illos esse alterius primarii invisibilis satellites. Denique **Cartesius** 3. P. Princ. n. 110 sqq. docet, cometas generari propterea quod stella aliqua fixa obducta densis maculis, cessanteque omnino vi et actione luminis ac vorticis ejus, inter viciniores vortices absorbeatur, et in cometam mutetur.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIII, *De Cometis*, art. 1, *Utrum Cometarum corpora sint mundo coæva*, p. 364-365

625. Nunc quartam propositionis partem probamus contra **Cartesium**. Nam præterquamquod hypothesis vorticum **Cartesianorum** | jamdiu explosa fuit tamquam omnino commentitia : **Cartesii** opinione admissa, totus Universi ordo corrueret ; timendum foret, ne et ipse Solis vortex cum tellure et omnibus planetis similiter absorberi quandoque deberet, ipseque Sol in cometam mutari : quod est plane absurdum.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIII, *De Cometis*, art. 2, *Utrum caudæ Cometarum recte explicentur a junioribus Philosophis*, p. 373-376

639. Qua autem ratione in cometis oriantur caudæ, quæque sit earum materia, variæ sunt opiniones Recentiorum. Appianus, Thycho, Snellius, aliique autumarunt, radios solares per caput cometæ propagatos, in eoque refractos tanquam in lente vitrea, eam efficere speciem, quæ cauda dicitur. **Cartesius** | caudam oriri putat ex refractione lucis in progressu ipsius a capite cometæ ad oculum spectatoris. Hevelius, et Jacobus Bernoullius censent, effluvia rariora planetarum nucleum cometarum circumambientia, post nuclei tergum Solis efficacia pelli, eaque nihilominus a postica parte adhærere, quod in eo in loco impulsibus radiorum minus sint obnoxia. Nevvtonus, VVolfius aliique Recentiores communiter cometarum candas derivant ex nube seu vapore quodam, aut congerie exhalationum a capite cometæ jugiter surgente, et abeunte in partes a Sole aversas. At vero S. Thomas post Aristotelem docet, quod *sicut halo,* idest corona, *se habet ad Solem, et Lunam ; ita coma* (idem dicendum de cauda) *se habet ad stellas fixas, vel erraticas, quando apparent cum comitis, et est aliqua exhalatio inferius, scilicet in superiori loco aeris, consequens motum illarum stellarum.*
640. Videtur autem falsa et absurda hæc postrema opinio, I. quia si caudæ cometarum essent exhalationes in superiori loco aeris, non possent tamdiu perseverare, ut usque ad sex menses perdurarent, quemadmodum aliquos cometas caudatos perdurasse certum esse. Quis enim capiat, qua ratione possit terrenus halitus, ubi accensus fuerit, tanto tempore perdurare ?
641. II. Dici non potest, novam continuo materiam suppeditari : nam ut id fieri posset, si cometa uni terræ loco insisteret ; nemo dixerit, exhalationes cometæ præstari in omnibus terræ partibus, eadem quantitate, cometa sic locum mutante, ut intra 24. horas totum terræ orbem circumeat, et alio etiam digrediatur. |
642. III. Explicari deinde non poterit, cur cometa caudam semper dirigat in partem Soli adversam : nam si exhalatio flamma sit, videbitur ex seipsa in quacumque positione fuerit ad Solem, et in mucronem definet, ut est flammarum proprium : quæ tamen cum phænomenis non conveniunt. Si autem esset fumus, cur non

undulosus, coacervatusque ? cur non verticalis, aut posticus ? cur ejusdem coloris cum cometa ? cur adeo clarus ?
643. IV. Cum caudæ, non minus ac cometæ, vel nullam parallaxim habeant, vel saltem minorem lunari ; quæ ratio probat, cometas esse supra Lunam, probat quoque idem de cometarum caudis.
644. V. Si caudæ conflarentur ex terrestribus exhalationibus, Lunam eclipsarent, et eclipsim paterentur ab umbra telluris : utrumque autem est falsum.

Propositio I. *Cometarum caudæ non sunt jubar Solis per translucida eorum capita propagatum. II. Neque oriuntur ex refractione lucis in progressu ipsius a capite cometarum in terram. III. Neque sunt effluvia planetarum rariora circumambientia cometarum nucleum. IV. Neque nubes, aut vapores jugiter surgentes a capite cometarum, et abeuntes in partes a Sole aversas. V. Sed probabiliter sunt exhalationes inferiores in superiori aeris loco sequentes motum illarum stellarum, quibus caudæ adjunguntur.*

645. Prob. I. p. Si cometarum caudæ essent jubar Solis per translucida eorum capita propagatum ad instar globi vitrei, caudæ cometarum semper apparerent instar coni acutissimi ; adeoque viderentur semper cuspidales, ut in iisdem vitreis globis : quod est contra id quod experimur : nam caudæ cometarum eamdem fere semper latitudinem servant respectu capitis.
646. Præterea jubar Solis sine materia reflectente videri non potest : nam visio, ut ais S. Thomas, non fit nisi per radios, qui in oculos impingunt ; qui quidem radii triangulum, | sive conum constituunt, cujus basis est in re visa, et angulus in oculo videntis. Ut igitur jubar Solis videri a nobis posset propagatum per translucida cometarum capita, deberet esse in regione cometarum materia aliqua reflectens. Hæc autem materia ibi non reperitur, alioqui totum cælum semper videretur a Sole illustratum. Non enim alia ratione cælum, cum nobis nox est, non videtur a Sole illuminatum, nisi quia etsi pateat radiis solaribus, hi tamen non reflectuntur ad nos, eo quod materia cælorum est diaphana, transmittens, non reflectens ad nos radios solares. Constat igitur, caudas cometarum non esse ex propagatione solaris lucis per translucida eorum capita, ut Tycho docuerat.
647. Prob. 2. p. si caudæ cometarum orirentur ex refractione lucis in progressu ejusdem lucis a capite eorum ad terram, refractio illa vel fieret in regione cælesti, vel in regione aeris nostri. Si dicatur hoc posterius, caudæ cometarum non gignerentur, nisi in infima aeris nostri regione, ad quam perveniunt terrestres vapores, in quibus astrorum fit refractio. Illud autem prius esse non potest ; nam medium cæleste nulla gaudet vi refractiva ; si enim ea polleret, lux fixarum, et planetarum distincte ad nos non transmitteretur. Explicandum quoque foret, cur neque Saturnus, neque Jupiter, neque Venus caudas habeant, cum tamen apparentes eorum diametri vel majores, vel saltem æquales sint diametris cometarum, qui longissimas habent caudas ; et illorum planetarum lux major sit luce capitum cometarum, quæ tenuis est, et obscurior. Itaque neque stare potest **Cartesii** opinio.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIV, *De Motibus Astrorum*, p. 390-392

668. Expensis iis quæ ad siderum cum interrantium, tum erratium, et cometarum naturam, ac proprietates pertinere videbantur, de eorum motu est inquirendum. Qua in re, omissis modo iis quæ ad Opticam Astronomiam pleno spectant jure, ut de inveniendis astrorum conjunctionibus, oppositionibus, declinationibus, inclinationibus, æquationibus, latitudinibus, longitudinibus etc. agemus tantum de astrorum motibus, qua ratione ad Physicam proxime pertinent.
669. Porro de Stellis fixis jam supra diximus eas moveri motu proprio ab occasu in ortum in consequentia spatio | annotum 36000. Præterea diximus, Saturnum 30 annis circulum suum perficere motu proprio ab occidente in orientem ; Jovem annis 12. Venerem, et Mercurium circa terram moveri simul cum Sole spatio unius ferme anni, Lunam uno | fere mense. Diximus quoque incertam esse periodum cometarum. Denique diximus duplicem esse Stellarum motum, unum ab ortu in occasum, quo singulis 24. horis moveri videntur ; alterum proprium ab occasu in ortum. Remanet igitur inquirenda caussa motrix astrorum ; de qua celebriores Recentiorum opiniones Kepleri, **Cartesii**, Leibitii, et Nevvtoni exponemus atque impugnabimus ; deinde propugnabimus S. Thomæ sententiam.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIV, *De Motibus Astrorum*, art. 2, *Quodnam sit ferendum judicium de hypothesi Cartesiana circa caussam motricem astrorum*, p. 397-403

678. Arbitratus fuit **Cartesius** motus planetarum facillime explicari posse, *si putemus totam materiam cæli, in qua planetæ versantur in modum cujusdam vorticis in cujus centro est Sol, asside gyrare, ac ejus partes Soli viciniores celerius moveri, quam remotiores, planetasque omnes (e quorum numero est terra) inter easdem istius cælestis materiæ partes semper versari.* In hac igitur hypothesi, caussa motrix astrorum est substantia circa Solem tanquam centrum.
679. Videtur autem ita dicendum, I. quia, animadvertente | **Cartesio** „ut in iis fluminum locis, in quibus aqua in seipsam contorta vorticem facit, si variæ festucæ illi aquæ incumbant, videbimus ipsas simul cum ea deferri, et nonnullas etiam circa propria centra converti, et eo celerius integrum gyrum absolvere, quo centro vorticis erunt viciniores ; et denique, quamvis semper motus circulares affectent, vix tamen unquam circulos omnino perfectos describere, sed nonnnihil in longitudinem, et latitudinem aberrare : ita eadem omnia de planetis absque ulla difficultate possumus imaginari, et per hoc unum solum cuncta eorum phænomena explicantur„. Substantia igitur fluida cæli, in qua planetæ moventur tanquam in vortice, illa est, quæ eos movet in gyrum circa Solem tanquam centrum.
680. II. Si ventus agitatus potest nubes agere, si potest etiam ædificia disjicere, subvertere navigia, revellere arbores, et id genus similia ; si aer supremus moveri potest ad motum primi mobilis, et ea quæ in ipso aere sunt circumvehere : cur non poterit in ætherea ragione aer circumfluere, et secum circumagere stellas illic existentes ?

Propositio. *Hypothesis Cartesiana de caussa motrice astrorum.* I. *fictitia est* ; II. *Pugnatque cum ejusdem Cartesii principiis.*

681. Ostenditur pars prior I. quia in hæc etiam hypothesi ponitur Sol quiescere in centro vorticis, terram vero cum aliis planetis circa Solem moveri : quod falsum | esse probavimus. 2. quia a ratione prorsus alienum est, astra moveri a materia fluida, quæ esse concipitur in vortice Solis ; quis enim credet, materiam illam non modo continere, sed contorquere ingentia planetarum corpora posse ? 3. quia, ut Nevvtonus docet, *ad conservationem vorticis constanter in eodem movendi statu, requiritur principium aliquod activum, a quo globus eandem semper quantitatem motus accipiat, quam imprimit in materiam vorticis. Sine tali principio necesse est, ut globus, et vorticis partes interiores, propagantes semper motum suum in exteriores, neque movum aliquem motum recipientes, tardescant paulatim, et in orbem agi desinant.* Explicent **Cartesiani**, quodnam sit hoc principium activum, a quo sive Sol, sive globi planetarum eandem semper accipiant motus quantitatem, quam imprimunt in materiam vorticis. Quod si explicent, corruet tota **Cartesii** hypothesis ; tale enim principium activum erit caussa motrix astrorum, nec oportebit eam rejicere in materiam cæli, in qua tanquam in vortice, | in cujus centro est Sol, planetæ moveantur. Si autem illud adsignare nequiverint, consequetur, cum Solem, tum planetas debere tandem desinere in orbem agi. 4. Ex **Cartesianis** petimus, an materia vorticum minorum, in quorum altero tanquam in centro, ut **Cartesius** scribit, est terra, circa quam movetur Luna ; in altero vero est Jupiter, circa quem tanquam centrum moventur eodem motu cum vortice majori, in cujus centro est Sol ; an vero motus minorum illorum vorticum sint diversi, et diversas partes. Si hoc posterius dicant ; igitur non ferentur satellites *in easdem partes*, ad quas major vortex fertur. Eosdem autem motus esse, nemo dixerit, præsertim in vortice telluris, in quo videmus tot tantosque fieri motus nedum diversos, sed plane contrarios. 5. Rursus petimus, an vortices hi minores veluti innatantes in vortice majori Solis, impediant, necne motibus suis motum majoris vorticis ? Si non impediunt ; igitur ferentur ad easdem partes, nec vortex in quo movetur Luna simul cum terra, centrum habebit in ipsa terra ; nec vortices, in quo moventur satellites Jovis, et Saturni, centrum habebunt in ipso Jove, et Saturno. Si autem motus minorum vorticum impediunt motum vorticis majoris, ut impedire sane debent, si stemus exemplo **Cartesii** de fluviorum vorticibus ; igitur vortices illi minores non sequentur motum vorticis majoris, sed fiet conflictus motuum ; et motus vorticis majoris, ut in iisdem fluminum vorticibus accidit, contrariam directionem subibit, eo majorem, quo impedimentum erit propinquius centro majoris vorticis. Mittimus reliqua, ne in re conflicta tempus inutiliter teramus.
682. Alteram partem facile est demonstrare : nam 1. **Cartesius** statuit, omnia in orbem acta conari recedere a centro | motus ; eorumque motum, ut ipse addit, augeri in progressu, *eo quod superiores ab inferioribus, et omnes simul a materia primi elementi, in centro cujusque vorticis congregata premantur.* Hoc si verum esset, planetæ versantes in vortice habente centrum in Sole, deberent eo celerius moveri, quo superiores essent, quia *superiores* partes vorticis *jugiter premerentur ab inferioribus.* Quomodo igitur **Cartesius** ait, *materiam cæli, in qua planetæ versantur, assidue gyrare, et ejus partes Soli viciniores celerius moveri quam remotiores* ? Quomodo augebitur motus in progressu ex pressione partium superiorum ab inferioribus, et simul movebuntur celerius inferiores partes Soli viciniores, quam superiores remotiores ? 2. idem **Cartesius** docet, dum aliquid movet aliud, tantundem de suo motu amittere, quantum alteri tribuit. Ex quo principio statim sequitur, partes

materiæ cæli, seu vorticis habentis centrum in Sole, etiamsi ipsi Soli viciniores, debere moveri eadem celeritate, qua moventur remotiores ; siquidem viciniores tantundem motus amitterent, quantum remotioribus tribuerent ; adeoque in utrisque idem esset motus, et celeritatis gradus. 3. **Cartesius** docet, *nullum corpus moveri posse, nisi per circulum, ita scilicet ut aliud aliquod corpus ex loco, quem ingreditur expellat, hocque rursus aliud et aliud usque ad ultimum.* Nunc autem de planetarum motibus agens concedit, *circulos quos describunt non esse omnino perfectos ; sed ut in omnibus aliis rebus naturalibus contingere videmus, ista tantum præterpropter talia esse, ac etiam labentibus seculis continuo mutari.* Atque | hæc quidem pauca (ne plura addamus) satis erunt ad ostendendum, hypothesim **Cartesianam** de motrice caussa astrorum commentitiam esse, et cum ejusdem **Cartesii** principiis pugnare.

683. Ad primum respondemus, exemplum desumtum ex festucis innatantibus in aqua fluviorum, quæ in seipsam contorta vorticem facit, ineptum esse, et retorqueri posse contra ipsum **Cartesium** : nam festucæ illæ nedum moventur simul cum aqua circa centrum vorticis, sed etiam earum aliquæ proprio motu convertuntur circa propria centra, ut ipse **Cartesius** fatetur. Planetæ autem, **Cartesio** auctore, *quiescunt in ea cæli regione, in qua versantur, et omnis variatio situs quæ in illis observatur, ex eo tantum procedit, quod omnis materia cæli, quæ illos continet, moveatur.* Quare **Cartesio** remanet adsignandum principium, a quo Sol, aliique planetæ agantur circa proprium axem ; is enim motus diversus est a motu communis vorticis. Præterea in vorticibus fluviorum adsignatur caussa motus aquæ, nimirum gravitas, qua aqua fertur in partes decliviores : talis autem caussa locum non habet in vortice planetarum, qui, ut **Cartesius** ait, *inter easdem istius cælestis materiæ partes semper versantur.* Insuper, si corpus aqua specifice gravius in aquam projiciatur in ea parte, in qua aqua in seipsam contorta vorticem facit, tantum abest, ut simul cum aqua corpus illud deferatur, quin statim ob majorem gravitatem ad ima descendat. Si ergo ex **Cartesio** materia vorticis non habet eandem gravitatem cum materia planetarum, eo quod hæc sit longe densior, et compactior, planetæ deferri non poterunt cum ea in gyrum, sed ad centrum vorticis, nimirum in Solem deserentur.

684. Ad secundum respondemus, si exemplum venti, aut aeris agitati quidpiam valeret, probaturum, planetas ab æthere deferri in omnem cæli partem modo prorsus irregulari ; | quis enim regularem motum quærat in vento, aut aere concitato, tunc præsertim cum ædificia disjicit, et navigia subvertit, arboresve revellit ? Ecquis autem unquam vidit, ædificium aliquod, navigium, aut arborem e terra subvecta, et in gyrum constanter, jugiterque acta ? Quod si ne in uno quidem lapide tantum aer valere potest, qui poterit æther in ingentibus corporibus planetarum ? In exemplo igitur, quod proposuit Gassendus, deceptus vehementer fuit. Si autem aer supremus ad motum primi mobilis movetur, unaque circumvehit, quæ ibi sint, Stellas crinitas, nemini mirum esse debet : nam primum mobile cetera infra se mobilia corpora abribit, neque se solo id facit, sed prout motum accipit a caussa ipsum movente ; neque vero tenue est instar ætheris, sed plane compactum, atque conjunctum sphæris similiter compactis, quarum infimæ contiguus est aer supremus, in quo versantur Stellæ crinitæ, quæ tenues exhalationes sunt vi motus accensæ. Ita explicant Peripatetici. Quæ cum sint, palam est, magnum esse discrimen inter primum mobile, aerem supremum, crinitasque Stellas circumvehens, et liquidum, tenuemque ætherem qui planetas circumferret ; Gassendumque pudere debuerat, adversus Peripateticos, quorum principia non ignorabat, tali argumento uti.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIV, *De Motibus Astrorum*, art. 3, *Utrum admitti debeat systema Leibnitianum de motuum cælestium caussis*, p. 404

685. Reprobatis a Leibnitio Aristotelis et Ptolomæi placitis de cælestium motuum caussis, eo quod illi *naturæ majestatem nondum agnoverint.* Rejecta insuper sententia Kepleri (quem tamen *virum incomparabilem* vocat) *tum quod intelligentiis, aut sympathiarum radiationibus inexplicatis haberet præpeditam mentem ; tum quod nondum illius tempore Geometria interior, et scientia motuum eo quo nunc proficissent.* Improbata quoque hypothesi **Cartesiana**, sive *quod **Cartesius** legum cælestium a Keplero inventarum rationes reddere ne aggressus est quidem, sive quod non satis conciliare posset cum suis placitis, sive quod felicitatem inventi ignoraret.* Denique excluso *magnetismo aliisque id genus abstrusis qualitatibus, quod aut non intelligantur, aut ubi intelliguntur, corporearum impressionum effectus appariturœ judicentur ;* aliud systema excogitavit nihilo minus absurdum, multoque magis implicatur.

Vol. II-2, *Phisicam Particularem complectens*, Quaest. XIV, *De Motibus Astrorum*, art. 3, *Utrum admitti debeat systema Leibnitianum de motuum cælestium caussis*, p. 407

Propositio. *Opinio Leibnitiana de cælestium motuum caussis I. nihilo minus quam* ***Cartesiana****, conficta est. II. Et cum ipsius Leibnitii principiis ; III. Itemque cum ratione pugnat.*

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. I, *De principiis Demonstrationis,* art. 2, *Utrum sit aliquod demonstrationis principium Ontologicum omnino primum, et quodnam sit*, p. 10-13, 16-18.

18. Jampridem Sceptici contraria circa idem apparere dixerunt. Heraclitei autem ulterius progressi, dixerant, contraria circa idem non apparere modo, sed esse. Quamobrem principium contradictionis negarunt. **Cartesius** autem inducta universali dubitatione, qua supponatur, *nullum esse Deum, nullum cælum, nulla corpora* ; censet, hanc cognitionem, *ego cogito, ergo sum*, omnium esse primam, et certissimam, quæ cuilibet ordinate cogitanti occurrato. Auctor *Artis cogitandi* primi axiomatis loco habet ; *Quidquid | in alicujus rei clara, et distincta idea continetur, potest de illa vere affirmari.* Quod et Purchotius docet, universique **Cartesiani**. Genuensis vero cum Gerardo Titio, negat, *unum esse totius humanæ scientiæ hujusmodi principium primum.* Leibnitius, quem Wolfius, aliique recentiores sequuntur, duplex admittit cognitionis nostræ primum principium, alterum quod dicitur *contradictionis* ; alterum quod vocat *rationis sufficientis*. Recentissimi autem Metaphysici principium *contradictionis* constituunt pro veritatibus necessariis ; pro contingentibus vero statuunt principium *rationis sufficientis*. At vero S. Thomas unicum duntaxat admittit principium demonstrationis omnino primum, principium nempe contradictionis, *impossibike est, idem simul esse, et non esse* ; quod quidem dicitur *contradictionis*, quia si quis illud neget, cogitur affirmare contradictoria.
19. Videtur autem, principium demonstrationis omnium primum esse illud **Cartesii** ; illud enim dici debet principium | omnium primum, de quo certi sumus, etiamsi cetera ponantur falsa. Tale autem est illud, *ego cogito, ergo sum ;* etsi enim omnia essent falsa, hoc tamen ipsum verum esset ; siquideum cogitare non possem, nisi essem. Quare S. Augustinus hoc eodem principio utitur ad probandum, et quod nos simus, et quod Deus sit.
20. II. Videtur præterea, principium *contradictionis* non esse omnium primum ; tum quia aliud principium supponit, scilicet, *quodlibet est, vel non est ;* tum quia pendet ab evidentia, adeoque ab alio principio, *quidquid est in idea clara, et distincta, certum est* ; tum quia demonstrari potest ratiocinio, quo utitur Stroehlerus *Esse, et non esse eiusdem sunt opposita, hinc unio eorum contradictionem constituit ; sed quod contradictionem constituit est impossibile ; ergo tò sse, et non esse ejusdem est impossibile*. Tum quia propositiones simplices sunt priores modalibus, et affirmativæ priores negativis. Propositio autem illa, *impossibile est,* etc. modalis est, et negativa. Tum denique, quia idem principium nullius videtur esse utilitatis, nisi tantum ad revincendum.

Prop. I. *Exstat aliquod ontologicum demonstrationis principium omnium primum. II. Illud autem non est, neque effatum* ***Cartesii****,* cogito, ergo sum ; III. *Neque illa propositio*, quidquid est in alicujus idea clara, et distincta, etc. *IV. Sed est pervulgatum* illud, Impossibile est, idem simul esse, et non esse.
[...] | [...]
22. Altera pars ostenditur ratione desumta ex eodem S. Thoma. Principium demonstrationis omnium primum non solum debet esse maxime certum, et evidens ; hoc enim commune habent universa principia per se nota ; nec solum debet advenire *naturaliter*, ut loquitur S. Doctor, idest, non debet acquiri per demonstrationem, sed per simplicem perceptionem terminorum, ut dictum est : quod etiam commune est omnibus principiis per se notis ; verum etiam nullum aliud principium debet supponere ; si enim aliud supponeret, non esset omnino primum. Atqui **Cartesianum** effatum, *cogito, ergo sum,* supponit alia principia, videlicet, *quidquid cogitat, est* : *quidquid operatur, existit* : *operari sequitur esse* : *impossibile est, idem simul esse, et non esse*. Nisi enim hæc principia vera forent, inferre non possem, me esse, quia cogito. Præterea effatum illud potius demonstratio est, quam principium ; includit namque majorem, *quidquid cogitat est* : hæc autem vera non esset, nisi vera forent principia paulo ante recensita. Tantum igitur abest, ut effatum **Cartesianum** habeat rationem principii demonstrationis omnino primi, quin nec mereatur nomen principii per se noti ; demnostratione siquidem innotescit, et non ex sola perceptione terminorum.
[...] | [...] | [...]
26. Ad primum omissa majori, neg. min. Nam si ponatur falsum esse principium *contradictionis*, falsum quoque erit effatum **Cartesianum** ; quod ideo verum est, quia vera est propositio, *quidquid cogitat, est* : hæc autem non aliunde vera est, quam ex eo, quia nisi qui cogitat, esset, idem simul esset, et non esset. Omisimus porro majorem ; non enim ad rationem primi principii requiritur, ut sit certum, etiamsi cetera ponantur falsa : nam possunt cetera esse vera, | nec propterea destruetur ratio primi principii, ad quam non solum requiritur certitudo, sed vel maxime ut cetera in ipsum reducantur, ut dictum est. Quænam vero sunt illa, quæ redecuntur in effatum **Cartesianum** ? an triangulum non erit figura tribus lineis comprehensa, si ego neque cogitem,

neque sim ? Non negamus, cogitationem intellectus esse medium ad inveniendum, et quid anima sit, et quod ipsa sit ; imo dicimus, hoc modo, et non aliter, mentem nostram posse cognoscere seipsam. *Per actum suum,* inquit S. Thomas, *se cognoscit intellectus noster. Uno quidem modo particulariter, secundum quod Sortes, vel Plato percipit se habere animam intellectivam ex hoc, quod percipit se intelligere. Alio modo in universali, secundum quod naturam humanæ mentis ex actu intellectus consideramus.* Verum hæc eadem cognitio alias, et alias cognitiones supponit tam ex parte sensus ; quippe, ut idem S. Thomas ostendit, nosque alibi demonstravimus, *cognitio intellectiva aliquo modo a sensitiva primordium sumit* ; tum ex parte intellectus nostri, qui licet resolvendo, a minus universalibus ad universaliora procedat ; nihilominus componendo, ab universalioribus ad minus universalia progreditur. Itaque falsum omnino est, quod assumit **Cartesius**, effatum suum esse primum quod menti occurrit. S. Augustinus autem non aliter effatum illud usurpavit, quam post ipsum S. Thomas, qui utique concedit, viam probandi existentiam animæ ex cognitione intellectus, expeditam esse : posita autem animæ existentia, cum anima non sit a seipsa, facile probatur etiam existentia Dei.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. I, *De principiis compositionis Entis*, art. 2, *Utrum essentiæ rerum sint immutabiles*, p. 22-23.

41. Recepta apud omnes sententia semper fuit, rerum essentias immutabiles esse ab intrinseco. **Cartesius** autem essentias rerum immutabiles quidem posuit, sed quia sic Deus voluit. *Nullum*, inquit, *bonum, vel verum fingi potest, cujus idea in intellectu divino prius fuerit, quam ejus voluntas se | determinarit ad efficiendum, ut id tale esset... Quia voluit tres angulos trianguli necessario æquales esse duobus rectis, idcirco jam hoc verum est, et fieri aliter non potest, atque ita de reliquis*. Quam est verum quod ait cicero : *Nihil tam absurdum dici potest, quod non dicatur ab aliquo Philosophorum* !

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. I, *De principiis compositionis Entis*, art. 3, *Utrum essentiæ rerum consistant in indivisibili*, p. 26-28.

50. **Cartesiani** rerum essentias constituerunt in una tantum proprietate, a qua ceteræ dimanare intelligantur, ipsa vero a nulla priore oriatur ; quare posuerunt essentias rerum esse omnino simplices.
[...] | [...] |
56. Ad primum respondemus, essentiam ita esse primam in constituendo, ut non excludat in rebus creatis ea ex quibus componitur. Prima ergo dicitur respectu proprietatum essentialium, quæ ab ipsa dimanant, non autem absolute prima per exclusionem cujuscumque compositionis. S. Thomas : *substantia*, inquit, *quæ definitur* (nam accidentia, ut idem S. Thomas advertit, habent definitionem incompletam, quia sicut non habent in se esse absolutum, ita non possunt definiri, nisi ponantur subjectum in eorum definitione) *sive sit intellectualis, sive sit sensibilis, oportet, quod sit composita. Ea vero, ex quibus primo componitur, cum sint simplicia, non contingit definiri. Dictum est enim supra, quod ratio definitiva adjungit aliquid alteri, quorum unum est ut forma, aliud ut materia. Nam genus sumitur a materia, et differentia a forma. Unde si species rerum essent tantum formæ, ut Platonici posuerunt* (et postea **Cartesiani**, qui Platonismum renovarunt) *non contingeret eas definire.*

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. III, *De principiis caussalitatis entis, sive de caussis, at primum de efficiente*, art. 2, *Utrum præpter primam Caussam, dentur etiam Caussæ secundæ revera efficientes*, p. 51-52.

111. Deinde sese offerunt *Occasionalistæ*, sic dicti, quia creatis caussis omnem quidem agendi vim adimunt, eas tamen vocant *occasionales*, quia Deo occasionem præbent, ut effectus producat. Verus hæc fuit sententia, quam S. | Thomas describit. Inde sententiam mutuatus est suam Malebrancius, qui aperte pronunciat : *Non modo corpora non possunt esse veræ caussæ ullius rei ; Mentes etiam nobilissimæ in eadem versantur impotentia*. Nonnulli autem, ut Turrius vim agendi rebus animatis concedunt, inanimatis denegant. Le Grand, et Purchotius spiritibus creatis concedunt volendi vim, non autem cognoscendi, nimirum, ex præconcepta **Cartesii** sententia statuente, perceptionem non esse actionem, sed passionem.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. IV, *De Caussis finalibus*, art. 1, *Utrum omne agens agat propter finem*, p. 100-101, 106-107

230. Hisce præmissis, quæ valde necessaria scitu sunt iis præsertim, qui ad sacram Theologiam instituuntur ; ad propositam controversiam propius accedentes ; olim Democritus, Epicurus, aliique veteres Philosophi, Philosophorum nomine prorsus indigni, caussas finales non despexerunt modo, sed omnino negarunt, ad materiam, fortuitamque atomorum coalitionem universa referentes. Hos auctores sequuti sunt impii homines Spinosa, et qui recenter nefandum edidit opus *Pensées sur l'interpret. de la nature ;* non minus enim stulte, quam impie pronunciarunt, *omnes caussas finales nihil nisi humana esse figmenta*. Quibus, ut alibi dictum est, ceteri Athei assentiuntur ; nec ab illis recedit Robinetus, qui ut ex dictis constat, fatetur | quidem, *Deum non agere casu* ; ait tamen, *ipsum non agere propter aliquem finem*. His postremis præivisse videtur **Cartesius**, qui licet non neget caussas finales, nec inficietur, Deum agere propter finem : ait tamen, *nullas umquam rationes circa res naturales a fine, quem Deus, aut naturæ in iis faciendis sibi proposuit, esse desumendas.*
[...] |
237. VII. Denique, ut **Cartesius** animadvertit, quamvis concedatur, Deum agere propter finem ; nemo tamen absque temeritate fines ejus potest investigare ; quis enim est particeps consiliorum Dei ? Itaque videtur saltem non esse inquirendum in caussas finales.

Propositio. *Unumquodque agens, imprimisque Deus in operibus ad extra, agit propter finem.*
[...] | [...] | [...] | [...] | [...] | [...]
251. Ad septimum respondet Gassendus, temeritatem quidem esse velle investigare fines Dei, quos ipse voluit | occultos, aut investigari prohibuit ; non tamen si illi sunt in propatulo positi, et tales, ut laus ad Deum tamquam auctorem referatur. Verum neque **Cartesius**, neque Gassendus rem attigerunt : nam Deus, ut dictum est, non potest alium habere finem, quam suam bonitatem. Ceteri sunt fines ex parte operum, sive creaturarum ; qui tamen ad Dei bonitatem ut ad finem ultimum referuntur, et a Deo ad suam bonitatem ordinantur ; qui enim vult finem, vult etiam ea quæ sunt ad finem.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. V, *De Entis divisione, ac primum de Possibili, et Impossibili*, art. 3, *Utrum absolute possibilia, sint necessario possibilia*, p. 128-129

306. Postremo, quod diluimus, argumento victus Poiretus, in absurdissimam incidit sententiam ; distinxit enim possibilia in *anteidealia,* et *postidealia*, seu ante, et post liberum Dei decretum. Priora dixit esse prorsus nulla ; posteriora fieri talia, accedente divino decreto. In eamdem ivere sententiam **Cartesius**, qui, ut supra dictum | est, rerum essentiam mutabiles posuit ; et Thomas Blownt qui censuit posse a Deo fieri quæ sunt intrinsece impossibilia.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. X, *De ente substantiali, et accidentali*, art. 1, *Utrum substantia recte definitatur, ens per se existens*, p. 201-203

501. Inter recentiores Lockius statuit, substantiam nihil aliud esse, quam aggregationem rerum, sive idearum simplicium per sensus habitarum, cui quidem aggregationi nomen substantiæ tribuamus, de qua propterea nullam habere possimus claram ideam, atque distinctam. Leibnitius, | et Wolfius substantiam definiunt *ens præditum vi agendi*. **Cartesius** vero illam definierat, *res quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum*. Qua ex definitione proxime manasse videtur Spinosæ error statuentis unam tantummodo esse substantiam, eamdemque Deum esse, ut supra dictum est ; *nec posse unam substantiam ab alia produci ; nec ullam præter Deum dari, aut concipi posse substantiam* ; qui quidem ipse est veterum Panthæistarum error. Aliam substantiæ definitionem ex Atheorum mente, | præsertim Hobbesii describit Cudworthus : *substantia res est extensa, quæ extra animum posita est hominis, veraque, non ficta, prædita est magnitudine.* Cum autem Pantheistarum deliria plusquam satis refutaverimus, agendum remanet de Lockii, et Leibnitii definitione ; deinde explicanda est vera substantiæ definitio.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XVI, *De Natura Animæ rationalis*, art. 5, *Utrum essentia mentis humanæ in cogitatione posita sit, eaque perenni*, p. 374-375

820. Quemadmodum **Cartesius**, **Cartesianique** essentiam corporis in extensione reposuerunt, ut supra dictum est ; ita essentiam animæ, seu mentis humanæ in cogitatione reponunt. *Cogitatio*, inquit, **Cartesius**, *et extensio spectari possunt ut constituentes naturas substantiæ intelligentis, et corporeæ* ; *tuncque non aliter concipi debent, quam ipsa substantia cogitans, et substantia extensa, hoc est, quam mens, et corpus.* Hinc vero infert necessarium videri, *ut mens semper actu cogitet, qua cogitatio constituit ejus essentiam*. Animadvertit porro, cogitationem sumi posse pro modo substantiæ ; sic vero unam, eamdemque mentem habere posse plures diversas cogitationes. Quod Malebrancius explicat, ita esse intelligendum, ut per hanc vocem *cogitatio* non intelligamus *modificationes peculiares mentis, hoc est, hanc vel illam cogitationem ; sed cogitationem omnibus omnis generis modificationibus, aut cogitationibus suscipiendis idoneam.* Idipsum de perpetua mentis cogitatione docuerunt Leibnitius, Wolfius, Genuensis, aliique, etsi dicant cogitationem non esse animæ essentiam, sed attributum essentiale. |
821. Videtur autem cum **Cartesio** dicendum, essentiam mentis humanæ in cogitatione consistere : nam essentia cujuscumque rei est illa, qua posita, res intelligitur constituta, et distinguitur ab omni alia re. Posita autem cogitatione, intelligitur constituta mens humana, et distincta a corpore, cui cogitatio repugnat. In cogitatione igitur reponenda est essentia mentis humanæ.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XVI, *De Natura Animæ rationalis*, art. 5, *Utrum essentia mentis humanæ in cogitatione posita sit, eaque perenni*, p. 375-376

Prop. *I. Essentia mentis humanæ in cogitatione reponi nequit. II. Neque mens humana, dum est in corpore, perenniter cogitat.*
824. Prob. I. p. rationibus S. Thomæ (a) I. Cogitatio est actio mentis humanæ. Fieri autem non potest, ut actio cujuscumque rei creatæ sit ipsa ejus essentia ; ita | enim essentia illa esset suamet *actualitas,* atque adeo purus actus, excludens quamlibet *potentialitatem* ; esset namque ipsa operatio, quæ est ultimus actus substantiæ operantis. Nequit ergo essentia mentis humanæ in cogitatione reponi.
825. II. Si cogitatio esset humanæ mentis essentia, cum mens humana substantia sit, eaque per se subsistens, ut dictum est, cogitatio ejus per se subsisteret. Intelligere autem per se subsistens non potest esse, nisi unum, scilicet Deus, cujus intellectio est ipsa ejus substantia. Mens igitur humana non distingueretur a substantia Dei : quod demonstratum est, repugnare.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XVI, *De Natura Animæ rationalis*, art. 5, *Utrum essentia mentis humanæ in cogitatione posita sit, eaque perenni*, p. 377

830. Ad secundum dicimus, animam in corpore vivere non tantum vita intellectiva, sed etiam vegetativa, et sensitiva ; corpus enim per ipsam vegetat, ac sentit, ut infra ostendemus. Quare cum vacat a cogitando, adhuc vivit, quia tribuit corpori saltem vegetationem. Nec est necesse, ut in corpore semper actu vivat vita intellectiva. Quod qui tanquam certum adsumunt, supponunt tamquam certum idipsum quod est in quæstione. Equidem **Cartesiani**, qui vegetationem corporis non esse ab anima dicunt, quique sensationes non esse sine cogitatione affirmant, adiguntur adserere animæ perpetuam cogitationem, contra id quod quisque experitur ; quis enim dicere potest se cogitasse, dum gravi somno premeretur ? Cum autem anima erit a corpore separata, tunc perenniter cogitabit ; quippe, nisi cogitaret, non viveret : non enim per corpus posset vegetare, aut sentire. Denuo autem unita corpori post resurrectionem, semper etiam cogitabit ; numquam enim ei deerit sensuum ministerium.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XIX, *De unione animæ humanæ cum corpore*, art. 1, *Utrum anima humana sit vera humani corporis forma*, p. 427-431

923. Censuit olim Plato, animam corpori præesse veluti nautam navi, illique uniri, ut motor unitur mobili, et ut homo vesti, qua induitur ; ideoque | negabat, animam uniti corpori, sicut forma materiæ, sed ajebat uniri tantum per contractum virtutis, prout motor unitur mobili. Hinc vero inferebat, hominem quidem ex anima, et corpore esse compositum, sed revera nihil aliud esse hominem, quam animam ; velut equitem non simul equum, et hominem, sed hominem solum, ex eo tamen quod regendo equo sit accommodatus, vocamus. Platoni

in eo quod negabat animam intellectivam in seipsa absolute consideratam, esse corporis formam, subscribunt Recentiores bene multi, præsertim **Cartesius**, et Malebrancius, eorumque sectatores. Genuensis autem, ait quidem, Scholasticorum opinionem de anima quod sit forma substantialis corporis, accommodatiorem videri naturæ hominis, nec repugnare phænomenis ; addit tamen, eam nec esse certam, nec cum natura animi videri satis convenire, nisi græco Aristotelico cœno probe purgetur. Jacquierius vero, certum habet, *animam esse formam corporis eo sensu quod corpus perficiat, quod ipsum reddat corpus hominis, quodque cum ipso corpore totum quoddam substantiale, unicumque suppositum, nempe hominem constituat,* ait vero : *At quid sit, et an existat illa exigentia essentialis animæ, ut corpori conjungatur, non satis intelligimus.* |
[...] | [...]
931. Secundam prop. partem iisdem verbis docuit Œcumenica Synodus Viennensis sub Clemente V. Sic enim habet : *Doctrinam omnem, seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationalis, seu intellectivæ, vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati catholicæ inimicam fidei, prædicto Sacro approbante Concilio, reprobamus : defidatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma humani corporis per se, et essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.* Ibidem definitum quoque fuit, Unigenitum Dei Filium *partes nostræ naturæ simul unitas (ex quibus in se verus Deus existens, fieret verus homo) humanum videlicet corpus passibile, et animam intellectivam, seu rationalem, | ipsum corpus vere, per se, et essentialiter informantem, assumpsisse ex tempore, in virginali thalamo, ad unitatem suæ hypostasis, et personæ*. Quibus verbis nihil esse posse videtur clarius ad evertendam **Cartesianorum**, aliorumque Recentiorum positionem : nam si corpus humanum est merum automatum instar aliarum machinarum, ita ut universi motus qui in eo contingunt, non pendeant ullo modo ab anima, sed fiant occasione spirituum animalium, et omnino ad leges mechanicas ; corpus idem humanum essentialem sui perfectionem non recipit ab anima, sed a textura partium | perinde ac cetera automata. Jam vero quod *per se, et essentialiter* dependet ab alio, ab eo accipit essentialem perfectionem, agendique virtutem. Si ergo corpus humanum essentialem perfectionem, vimque agendi recipit a textura partium, et non ab anima ; anima non est *per se*, et *essentialiter* humani corporis forma : qui est error a Concilio damnatus.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XIX, *De unione animæ humanæ cum corpore*, art. 2, *Utrum anima sedem habeat in determinata corporis parte*, p. 440-443

940. Ex recentioribus autem Helmontius animam collocat in pyloro stomachi, sive in ore inferiori ventriculi. **Cartesius** in glandula pineali. Alii in aliis cerebri | partibus, præsertim vero in *corpore calloso* cerebri.
[...] | [...]
945. Altera prop. p. probatur ad hominem contra Recentiores. Si anima esset tantum in cerebro, ejusve corpore calloso, vel esset tota in omnibus eorum partibus, vel in una dumtaxat. Si in omnibus, jam anima quæ simplex, omnique extensione molis destituta est, esset illis partibus coextensa. Rediret ergo adversus Recentiores ratio, quam ipsi Peripateticis objiiciunt. Nec dicere possent, animam inextensam, in una quidem cerebri parte esse totam quoad substantiam, virtualiter vero ad reliquas se extendere. Nam primum quidem reddere rationem nequirent, cur similiter non posset anima se extendere ad omnia membra corporis : quod illi nolunt. Deinde, cum per ipsos virtutis animæ realiter non distinguatur a substantia animæ ; si virtus animæ se extenderet ad omnes cerebri, corporisve callosi partes, ad eas extenderetur et ipsa tota substantia animæ ; quæ proinde esset coextensa pluribus partibus, licet simplex, et inextensa. Si autem in una tantum parte illorum corporum anima locaretur, esset etiam in multis partibus ; principium est enim a **Cartesianis**, Newtonianis, Leibnitianisque receptam, quamlibet corporis partem in alias, et alias partes in infinitum | posse dividi. Anima ergo in quacumque illorum corporum parte etiam minima collocata, esset pluribus partibus coextensa, contra ac Recentioribus placet. Reliquum foret, ut animæ sedes in uno dumtaxat puncto indivisibili cerebri, corporisve callosi esset locata. At si ita dicatur, explicari non poterit, quomodo anima percipere motus valeat, qui in toto corpore fiunt, sensationesque habere omnium sensuum externorum ; etenim nervi per quos sensationes fiunt, non omnes ita protenduntur ab organis sensuum externorum, ut conjungantur in uno puncto indivisibili. Quod si etiam ita conjungerentur, fieri non posset, quin motiones quæ a nervis organorum sensoriorum prodeunt tam diversæ, in illo uno puncto indivisibili colliderentur, perturbarentur, atque confunderentur. Itaque sensationes, quæ unice fierent in anima advertente motiones illas, vel nullæ forent in anima animadvertente motiones illas, vel nullæ forent, vel perturbatæ, et confusæ. Expectabimus a Recentioribus, quibus nonnisi nova etiam absque ulla ratione placent, ut ab hoc argumento sese expediant. Quomodo autem expedire se possint, non videmus. Dicendum est ergo, animam non esse in solo cerebro, corporeve calloso.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XX, *De commercio animæ cum corpore,* art. 1, *Utrum per systema caussarum occasionalium recte explicetur commercium animam inter, et corpus*, p. 461

978. In systemate caussarum occasionalium, cujus falsitatem supra demonstravimus, ita explicatur commercium inter animam, et corpus, ut, negata utrique quacumque vera agendi vi, Deus solus, occasione talium, vel talium impressionum in organis corporeis, producat in anima tales, vel tales perceptiones, et appetitiones ; et occasione talium, vel talium perceptionum, et appetitiones ; et occasione talium, vel talium perceptionum, et appetitionum animæ, producat tales vel tales in corpore motus ; sicque mutationes fiant harmonicæ inter animam, et corpus. Hoc systema invenit Malebrancias, amplexatusque fuit Franciscus Lamy, simul cum aliis **Cartesianis**, quorum quidam *rigidum occasionalismus* sunt sequuti, pressius Malebrancio adhærentes ; quidam professi sunt *tolerabiliorem*, animæ, scilicet, concedentes volendi vim.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XX, *De commercio animæ cum corpore,* art. 2, *Utrum systema Harmoniæ præstabilitæ aptum sit ad explicandum commercium animam inter, et corpus, p.* 467

991. II. Post tempora **Cartesii** non modo detectum est, quantitatem virtutis absolutæ diversam esse a quantitate motus ; sed insuper eamdem directionem conservari in omnibus simul corporibus, quæ inter se agere supponuntur, quocumque modo sibi mutuo occurrant. Quæ quidem lex habere locum non potest, si ponatur corpus ab anima moveri, ac dirigi.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XX, *De commercio animæ cum corpore,* art. 2, *Utrum systema Harmoniæ præstabilitæ aptum sit ad explicandum commercium animam inter, et corpus, p.* 477-479

1005. Ad secundum respondemus petendo ex Leibnitio, a quonam fuerit detectum, eamdem directionem conservari in omnibus simul corporibus inter se agentibus, et quovis modo mutuo sibi occurrentibus ? Id non modo **Cartesius**, sed **Cartesiani** universi, et Newtoniani negant. Profecto intelligi nequit, quomodo duo corpora possint sibi invicem ex contrariis locis occurrere, quin motus eorum directionem mutent. Tenemus, a quoniam detectio fuerit facta ; ab ipso | nempe Leibnitio, qui ut supra dictum est, putavit, easdem in Universo conservari semper vires motrices, quas ipse *vivas* vocat : quod tamen apprime falsum esse demonstravimus. Nunc vero addimus, tam longe a veritate abesse id quod Leibnitius detectum fuisse dicit, ut si admittatur, multa sequantur absurda. Nam primum quidem tollitur omnis generatio, et corruptio, quæ stare non possunt cum eadem quantitate virium vivarum : nam generatio, et corruptio, quocumque modo explicentur, non contingunt, nisi prævii sint motus contrarii, quibus materia disponatur, ut transeat ab una forma ad aliam : motus autem contrarii cum eadem directione esse nequeunt, ut supra diximus. Deinde tollitur etiam omnis contingentia a rebus ; si enim quantitas virium vivarum eadem semper est in Universo, eademque directio, quocumque modo corpora sibi mutuo occurrant ; motus omnes ita semper eodem modo erunt, ut non possint aliter esse : quod sane omnem contingentiam excludit. Postremo inducitur omnimoda necessitas in omnibus motibus corporum etiam in iis qui subduntur imperio rationis. Quod ergo Leibnitius ait fuisse detectum post tempora **Cartesii**, purum putumque est ejus inventum, quod fatalismum inducit. Et cum fuerit excogitatum ex falso principio *harmoniæ præstabilitæ* ab ipsomet constitutæ, evidens est circulus vitiosus, quo *harmonia præstabilita* probatur ex lege quantitatis virium vivarum ; et hæc lex statuitur ex principio *harmoniæ* | *præstabilitæ*. Si Leibnitius S. Thomam legisset, aut, si legit, intellexisset, non ita fuisset deceptus.

Vol. III, *Metaphysicam complectens,* Quaest. XXIV, *De Dei Existentia,* art. 1, *Utrum Deus existat, p.* 576-577.

1172. Non hic proferemus **Cartesii** demonstrationes ; fatemur enim, nullam eis inesse vim ad atheos | convincendos. Itaque alias demonstrationes adhibebimus, ac præsertim illas quas adhibet S. Thomas.

[NOTE DEL VOLUME I]

n. 1, p. 101
Difficultatem agnovit Vossius de Sectis c. 21. §. 11. quare statuit hebetes, et inertes ab Eclectica Philosophia esse arcendos. Idemque de tyronibus statuit Sturmius de Phil. sect. et eclect. c. 5. n. 2. Verum si ita se res habet, jam sequitur, adolescentibus (quod nostra propositio adserit) qui si non hebetes, inertes certe sunt, interdicendam esse eclecticam Philosophiam : hac autem interdicta, quæri potest, utrum adolescentibus adimatur philosophandi libertas ; quæri potest, utrum adolescentibus adimatur philosophandi libertas ; nam si tyronibus præcipiatur, ut a magistrorum dictis pendeant, donec suo possint judicio uti, ut Verulamius tradit l. 1. de aug. scient. jam illud erit malum, quod Verulamius ipse, Novi Org. Aphor. 46. subtilius serpere dicit in Philosophis, ac scientiis, *in quibus quod semel placuit, reliqua (licet multo firmiora, et potiora) inficit, et in ordinem redigit.* Nam dicta Magistrorum, quæ semel tyronibus placuerunt, reliqua inficient, utut potiora firmioraque : sic vero tyrones edocti, suo vix, aut ne vix quidem umquam libero utentur judicio. Ita libertatis philosophica adsertores, suo, quemadmodum dicitur, gladio conficiuntur. De ceteris qui ingenio, et judicio plurimum valent, sic habeto : tantum abesse, ut ipsorum plerique omnes seipsis possint universarum sectarum non dicam principia, rationes, et momenta accurate perpendere, sed ne placita quidem numerando percensere ; quin potius, si bona fide agere Philosophi recentiores velint, fateri, uno aut altero excepto, cogentur, se aliorum Philosophorum sententias vix attigisse ; illorum autem libros vel numquam legisse, vel attente diligenterque non expendisse ; Gisbertum Voëtium imitati, qui Mersennum provocavit ad impugnandum **Cartesii** Philosophiam, antequam eam vidisset, cui proinde merito respondit Mersennum provocavit ad impugnandum **Cartesii** Philosophiam, antequam eam vidisset, cui proinde merito respondit Mersennus Epist. quæ extat in principio a.p. Epist. **Cartesii** : *Non possum intelligere, qua ratione illius Philosophiam impugnes, si non dum eam videris.* Sane si recentiores Philosophi vel unum Aristotelem legendo percurrere instituissens, immenso opus fuisset labore, ut Philosophum sive natura, sive arte obscurum intelligere verborum ejus sensum adsequi, et consequentium, antecedentiumque cohæsionem animadvertere potuissent. Quid si ejus interpretes Simplicium, Eustratium, Rodium, Themistium, Theophrastum, Ammonium, Psellum, Olympiodorum, aliosque vellent adire ? Quæ est autem hæc non philosophandi libertas, sed male dicendi libido, de Philosophorum sententiis, ac scriptis neque lectis, neque intellectis libere pronunciare ? Verum recentes Philosophi cum nihil minus curent, quam de veterum sententiis discutiendis, toti sunt in transcribendis aliorum juniorum Philosophorum placitis ; imitanturque Senecam, qui, cum Stoicus esset, ajebat nihilominus Epist. 45. *Non me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero.*

n. 4, p. 138-139
Ex quo Logica in unum corpus ad certas regulas fuit revocata, tres videntur fuisse ejus ætates, 1. a Zenone Eleate usque ad Christum ; 2. a Christo usque ad finem XV. seculi, sive ad initium XVI. 3. ab eo tempore usque ad hæc nostra. In prima ætate, præter Zenonem, cujus Logicam in tres partes fuisse divisam affirmat Gassendus *De Log. orig. et variet. c.* 2. quarum prima consequutionum, altera dialogorum, tertia contentionum dicebatur (Zeno Eleates, ut dictum not. 2. pag. 137 et refert Clemens Alex. Strom. I. p. 301. fuit Parmenidis auditor, is autem auditor Xenophanis, quem Apollodorus natum potuit Olympiade 40. Pervenisseque ad tempora Darii, et Cyri), memorantur Euclides Megarensis, qui Logicam in primis arripuit Zenonicam, sed nonnihil | sophisticam[...] ; de quo videri potest Plato *in Protagora*. Aristippus autem cum suis sectatoribus Cyrenaicis, etsi Logicam artificiosam contempsisse videatur, ut habet Seneca Epist. 89. locus est tamen apud Laertium, quod Logicam Cyrenaici propter ejus usum summum attingebant. De Platone quod maxime Logicam amplificaverit, ostendit Christianus Thomasius Phil. aulic. c.4. §.7. testanturque ejus Dialogi. Accuratius Stoici artes Logicas excoluerunt, nisi quod nimium in subtilitatibus, et verborum ambagibus immorabantur, ut dictum est not. 4. c. 7. ostendit testimonio Ammonii in vita Arist. p. 8. Quia nimirum *præcepta disputandi a rebus ipsis, de quibus disputatur, separavit, et demonstrandi viam docuit, ac rationem*. Et licet recentiores Philosophi multa in Aristotelis Logica reprehendant ; id tamen est in comperto, Aristotelem in Logica suis quidem, ut est hominum conditio, non caruisse nævis, fuisseque nonnihil prolixum, propterea quod adversus sui temporis Sophisticos scriberet, ut observat Socrates Hist. l. 2. c. 28. nihilominus Logicas artes vehementer promovisse. In secunda Logicæ ætate, Aristotelis Dialectica ubique fere obtinuit ; eamque Patres, ut hæreticorum, qui illa abutebantur, conatibus occurrerent, præcipuo studio coluerunt, ut ex eorundem Patrum Libris perspicue constat, præsertim cum adversus Arianos, et Eunomianos dimicant. Eademque fuit Logicæ Aristotelicæ tradendæ ratio usque ad initium seculi XVI. Nam licet sub Carolo Magno Dialectica S. Augustino tributa circumferretur, ut patet ex Prologo Alchuini ad Carolum Augustum super Categorias Augustini ; eaque

Dialectica in plerisque Scholis traderetur, ut ostendit Launojus de varia fortuna Aristotelis ; illa tamen Dialectica plane Stoico-aristotelica erat.
Tertiæ Logicæ ætati initium dedit Laurentius Valla Romanus, qui pluribus rasecatis præceptis in Aristotelis, et Scholasticorum Logica, Dialecticam contractiorem emisit. Novam Logicam tentare aggressi deinde sunt Petrus Ramus, Verulamius, Gassendus, Hobbesius, **Cartesius**, Nicolaus Malebranchius, Joannes Lockius, Joannes Clericus, Christianus Thomasius, Andreas Rudigerus, Christianus Wolfius, Antonius Genuensis, aliique. An autem palmam tulerint, colligi potest ex recentioribus ipsis Philosophis, quorum quisque suam in Logica tradenda rationem probat, ceterorum reprehendit. Vide Vernejum De re Log. l. 1. c. 5. sqq. et Genuensem Art. Log. Crit. Proleg. §. 37. sqq.

n. 1, p. 175
De Passion. Ani. 1. p. art. 37. *Quædam sunt,* inquit, *Actiones animæ, aliæ ejus Passiones sive Affectus*. *Quas ejus Actiones voco, sunt omnes nostræ voluntates... Sicut e contrario possunt in genere vocari ejus passiones omnes species perceptionum, sive cognitionum, quæ in nobis reperiuntur.* Nimirum *affectus* animi non amplius ad voluntatem, sed ad mentem percipientem, sive cogitantem erunt deinceps referendi, ut **Cartesio** morem geramus.

n. 4, p. 176
Eadem ratione qua **Cartesius** loc. cit. In actibus animæ volitiones habet, eadem et perceptiones habendæ sunt. Mirandum vero, quod idem **Cartesius**, qui art. cit. docuerat, *omnes species perceptionum passiones vocari,* ibidem art. 19. statuat : *Perceptiones nostræ sunt etiam duarum specierum ; et quædam animam pro caussa habent, aliæ corpus.* Si anima est caussa aliquarum perceptionum ; igitur aliquæ saltem perceptiones actiones sunt, non omnes sunt passiones.

n. 2, p. 205
Hæc **Cartesius** non facile sibi credidit : nam ibid. ait : „Fortasse etiam omnes adventitias possum putare, vel omnes innatas, vel omnes factas ; nondum enim veram illarum originem clare perspexi„. Qua in re prudentius se gessit, quam ii qui universas mentis ideas innatas dixerunt ; nullamque a sensibus proficisci, nisi per occasionem, quia videlicet motus in cerebro excitati excitandis in mente ideis deserviunt.

n. 5, p. 207-208
Id magis urget, si per ideas innatas **Cartesius** intelligat facultatem cogitandi, ut intelligere videtur, cum scribit in not. ad art. 12. program. Belgici. „Numquam scripsi, vel judicavi, mentem indigere ideis innatis, quæ sint aliquid diversum ab ejus facultate cogitandi. Quod istæ ideæ sint actuales, vel quod sint species, nescio quæ, a cogitandi facultate diversæ, nec umquam scripsi, nec cogitavi„. Cum enim facultas cogitandi non sit ex **Cartesio** aliquid distinctum ab anima, oporteret, animam esse in seipsa infinitam, ut potens esset intelligere species numerorum in infinitum. Sed vide, quam constans sibi fuerit **Cartesius**, et quantus philosophus ; nam statim subdit ibidem : „ Sed cum adverterem, quasdam in me esse cogitationes quæ non ab objectis externis, nec a voluntatis meæ determinatione procedebant, sed a sola facultate cogitandi, quæ in me est, ut ideas, sive notiones, quæ sunt istarum cogitationum formæ, ab aliis adventitiis, aut factitiis distinguerem, illas innatas vocavi„. **Cartesius** igitur affirmas, ideas innatas *non esse quid diversum a facultate cogitandi, et* nihilominus *procedere a facultate cogitandi, et esse cogitationum formas.* Hæc autem aperte invicem pugnant ; nam si ideæ innatæ, procedunt a facultate cogitandi, quomodo non sunt quid diversum a facultate cogitandi ? anne facultas cogitandi poterit a seipsa procedere ? Si autem ideæ innatæ procedunt a facultate cogitandi ; igitur innatæ non sunt ; quod enim est innatum cum facultate cogitandi, ab ipsa non procedit ; nam quod procedit ut effectus, posterius est eo a quo procedit, adeoque non est cum illo innatum. Præterea si ideæ innatæ sunt formæ cogitationum, jam non sunt ipsæ cogitationes, multoque minus facultas ipsa cogitandi : nam quod format, distinguitur a corpore, cujus est forma. Insuper quæri potest, an ideæ adventitiæ, et factitiæ sint formæ cogitationum, quod videtur ab **Cartesio** negari non posse. Quæ est enim forma cogitationis meæ, dum Solem concipio, nisi idea Solis, quæ per **Cartesium** adventitia est ? Igitur male distinguit **Cartesius** ideas innatas ab adventitiis, et factitiis, ex eo quod innatæ sunt cogitationum formæ. Rursus si idea innata, v. g. Dei, esset facultas cogitandi de Deo, etiam ideæ aliarum rerum essent facultas cogitandi de illis ; facultas autem cogitandi

una est, ad quascumque res adhibeatur. Igitur una tantum esset idea omnium rerum, et nugatoria esset distinctio idearum in innatas, adventitias, et factitias. Vide Huetium Cens. Phil. **Cartes**. c. 3. §. 9.

n. 1, p. 209
Vide S. Thom. I. p. q. 84. a. 3. **Cartesius** autem in respons. ad quintas object. pag. 64. Hujus rationis vi pressus a Gassendo, nihil habens quod responderet ait : „Qui scis nullam esse ideam coloris in cæco nato ? cum interdum in nobis, etsi claudamus oculos nihilominus sensus lucis, et coloris excitentur„. Cui non hæc stomachum moveant ? Satis est quempiam cæcum natum interrogare, qui ingenue fatebitur, nullam sibi inesse coloris ideam. Quod autem in nobis clausis oculis excitetur sensus lucis, et coloris, id si de sensu visus intelligatur, contradictorium est ; videremus enim simul, et non videremus. Si autem accipiatur de imaginatione lucis, et coloris, verum est ; attamen præcessit visio, quæ in cæco nato præcedere numquam potuit.

n. 2, p. 209
Cartesius sibimet contradicit ; nam postquam ideas adventitias admisit, haustas scilicet ex sensibus, tandem negat illas dari, nec alias agnoscit præter innatas. Sic enim scribit in Notis ad art. 12. Program. Belgici p. 185. „Nihil ab objectis externis ad mentem nostram per organa sensuum accedit præter motus quosdam corporeo, (explicare debuisset, quomodo hi motus ad mentem accedant, quod tamen non fecit)„ sed ne quidem ipsi motus, nec figuræ ex iis ortæ, a nobis concipiuntur, quales in organis sensuum fiunt, ut fuse in Dioptrica explicui ; unde sequitur, ipsas motuum, et figurarum ideas esse nobis innatas„. Si nihil præter motus quosdam pervenit ad animam ad objectis externis ; ideæ autem eorumdem motuum sunt innatæ ; nulla igitur est idea adventitia accepta ex sensibus, neque proinde ulla est idea factitia, quæ coalescit ex ideis adventitiis. Ludit ergo **Cartesius**, cum ideas dividit in adventitias, factitias, et innatas. Quid est autem, quod *ibidem* agens **Cartesius** de ideis rerum extra nos positarum, ait, mentem occasione sensuum determinari ad illas *efformandas* ? Nam si tales ideæ a mente efformantur, procul dubio non sunt innatæ.

n. 4, p. 210-211
Cartesius ipse 1. p. Princip. §. 59. explicans, quomodo fiant universalia ; *Fiunt hæc universalia,* inquit, *ex eo tantum, quod una, et eadem idea utamur ad omnia individua, quæ inter se similia sunt, cogitanda... Ita cum videmus duos lapides, nec ad ipsorum naturam, sed ad hoc tantum quod duo sunt attendimus, formamus ideam ejus numeri, quem vocamus binarium... Eodemque modo cum spectamus | figuram tribus lineis comprehensam, quandam ejus ideam formamus, quam vocamus ideam trianguli ; et eadem postea ut universali utimur ad omnes alias figuras tribus lineis comprehensas animo nostro exhibendas*. Hæc autem quisque videt, quam sint consentanea iis quæ ipse **Cartesius** docet, statuens, ideas figurarum esse innatas. VIde not. 2. pag. 209.

n. 1, p. 211
Animus (inquit Huetius Cens. Phil. **Cartes**. c. 3. §.9.) *in rebus multis idem quippiam animadvertens, excerpit illud e multis, in quibus fuerat dispersum, et in unum colligit, atque inde ideam universalem conflat. Velut in Petro, et Joanne, aliisque hominibus singulis deprehendens, eos esse animalia ratione prædita, jam neque Petrum, neque Joannem, neque ullum singularem hominem spectans, educit illud, et componit in unum, quod multiplex fuerat, ac generalem illam et universalem conflat, et confingit ideam, sibique commendat, omnem hominem esse animal rationale.*

n. 3, p. 214
Cartes. in resp. ad secundas object.

n. 4, p. 214
Cartes. In resp. ad 2. object. more geometr. dispositis. prop. 2.

n. 3, p. 215

Cartes. Medit. 3. et Malebr. de inquis. ver. p. 2. c. 5.

n. 4, p. 215
Cartesius in Respon. ad 2. objeet. prop. I. scribit. *Dei existentiam ex SOLA ejus naturæ consideratione cognosci.*

n. 5, p. 215
Idem **Cartesius** ib. prop. 2. statuit *Dei existentiam ex eo SOLO, quod ejus idea sit in nobis, a posteriori demonstrari.* Quasi existentia Dei demonstrari possit a priori ex ejus naturæ consideratione : QUod tamen Patres communiter negant. Vide Nazianzenum Orat. 34. et 42. Basilium l. I. con. Eunom. Nyssenum Orat. 32. con. Eunom. et Chrysostomum Hom. 2. de incomprehensibili Dei natura.

n. 6, p. 215
Sic **Cartesius** ib. prop. 3. probat Dei existentiam *etiam ex eo quod non ipsi habentes ejus ideam existamus.*

n. 9, p. 216
Hom. 3. in Epist. ad Rom. „Undenam liquet, quod ipsis (gentilibus) indidit Deus sui cognitionem, o Paule ? Propterea quod, inquit, quod de eo cognosci potest, manifestum est in illis. Hoc ipsum vero sententia est, non demonstratio. Tu porro mihi adstuito, probato, ac declarato, quod cognitio de Deo illis manifesta fuerit„ (Intelligat **Cartesius**, demonstrationem existentiæ Dei hic ab Chrysostomo quæri, audiatque, quænam illa fit) „Undenam igitur manifesta erat„ ? (**Cartesius** respondebit, ex idea innata Entis summe perfecti. At non ita respondet Chrysostomus) „Vocem, *inquit*, a supernis immisit illis Deus ? Nequaquam. Sed quod illos voce validius illicere poterat, id fecit, mundi creatione in medium proposita, ut possit sapiens, rudis, Scytha, barbarus, ex ipso adspectu eorum quæ oculis subjecta sunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere„.

n. 4, p. 217
Nam in Epist. ad Facultatem Paris. Præmissa **Cartesii** meditationibus, **Cartesius** ipse asserere non dubitat, rationes quibus utitur ad probandam Dei existentiam, *tales esse, ut non putet, ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri umquam possint.* Et in Præfat. ad easdem Medit. ait, se *viam sequi parum tritam, atque ab usu communi remotam.*

n. 7, p. 217-218
Nec valet **Cartesii** effugium, ideam nempe illam esse *subjective* finitam, *objective* infinitam. Nam I. negamus, ens *subjective* finitum posse positive repræsentare ens infinitum ; nulla est enim proportio inter finitum, et infinitum. (Vide S. Thom. I. p. q. 12. a. 2.) II. Si idea innata *subjective* finita posset repræsentare Deum infinitum ; cur non item possent res creatæ ? III. *Realitas objectiva*, quam **Cartesius** comminiscitur in idea innata Dei, vel esset realitas ipsius Dei, vel esset realitas intrinseca ideæ innatæ Dei. Si esset realitas ipsius Dei, explicandum foret, quomodo hæc realitas infinita esset in idea finita ; si enim nullo modo in idea esset, nullo modo idea repræsentaret. Si autem esset intrinseca ideæ Dei Innatæ, ut **Cartesius** videtur fateri, cum scribit Medit. 3. de eadem idea : *plus profecto realitatis objectivæ IN SE habet quam illæ, per quas finitæ substantiæ exhibentur ;* realitas ipsa *objectiva* finita esset ; nam quidquid est intrinsecum subjecto finito, finitum est. IV. Cum ideam dico, significo formam quæ repræsentat ; igitur realitas *objectiva*, seu ipsa repræsentatio objecti, non est aliquid distinctum ab ipsa idea ; adeoque si idea finita est, et realitas | *objectiva* finita erit. V. Ipse **Cartesius** explicans, quid sit esse *objective* in intellectu, in responsione ad secundas objct. Ait, id significare, *in intellectu eo modo esse, quo solent ejus objecta, adeo ut idea solis sit sol ipse in intellectu existens, non quidem formaliter, ut in cælo, sed objective, hoc est, eo mundo quo objecta in intellectu esse solent, qui sane essendi modus longe imperfectior est, quam ille quo res extra intellectum existunt ; sed non idcirco plane nihil est.* Igitur ex **Cartesio** realitas *objectiva* ideæ Dei erit modus quidam essendi ipsius Dei in intellectu, sed longe imperfectior, quam ille quo Deus est extra intellectum. Deum autem in seipso extra intellectum est infinitus. Modus igitur quo Deus erit *objective* in intellectu per ideam, etiamsi hæc sit innata,

erit finitus ; adeoque realitas objectiva ideæ Dei finita erit. Quod si hæc realitas finita est, jam nihil concludit argumentum **Cartesii** Medit. 3.,, Non esset idea substantiæ infinitæ, ,,cum sim finitus, nisi ab aliqua substantia quæ revera est infinita, procederet,,. Quod enim est finitum potest procedere a caussa finita. Falsum quoque est, quod ibid. addit ,,ideam Dei esse maxime claram et distinctam, et totum in ea contineri quidquid perfectionem aliquam importat,,. Nam quomodo ens infinitum poterit clare, et distincte cognosci per ideam finitam ? quomodo in ente finito contineri poterit quidquid perfectionem aliquam importat ? VI. **Cartesius** in respons. ad secund. object. defin. 3. ait : ,,Per realitatem objectivam intelligo entitatem rei repræsentaatæ per ideam, quatenus est idea,,. Igitur realitas objectiva ideæ Dei erit entitas ipsius Dei repræsentati per ideam Dei, quatenus est idea Dei. Jam vero si hæc realitas est ipsa entitas Dei, qua ratione dici potest, ideam Dei requirere Deum pro caussa, ut **Cartesius** statuit ibid. prop. 2. ? Anne Deus erit caussa suamet entitatis ? VIII. Hæc idea repræsentans entitatem Dei, vel esset ipse Deus, vel aliquid distinctum a Deo. Si esset ipse Deus, jam cognosceremus Deum in ipso Deo, nec ulla esset idea innata Dei ; nequit enim dici, Deum sub ratione ideæ esse menti innatum. Si autem esset aliquid distinctum a Deo, jam esset finitum ; nihil enim præter Deum est infinitum. Denique realitas illa *objectiva* ideæ innatæ vel esset ad repræsentandum, quod Deus sit ; nam ad cognoscendam Dei existentiam sufficiunt res creatæ, quæ cum sint effectus Dei, evidenter demonstrant Deum esse. Fieri autem non potest, ut lumine naturali cognoscamus quid sit Deus, ut S. Thomas demonstrat I. p. q. 12. a. 2. et habetur in Clement. *Ad nostrum,* de Hæreticis, ubi damnatur error Beguardorum, *quod anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum*.

n. 1, p. 219

Quod S. Augustinus scribit l. de mor. Eccl. Cath. c. 7. n. 11. ,,Ubi a Divina perventum est, avertit sese (ratio) : intueri non potest... reverberatur luce veritatis, et ad familiaritatem tenebrarum suarum, non electione, sed fatigatione convertitur. Quam hic formidandum est, quam tremendum, ne majorem inde concipiat anima imbecillitatem,, : Id plane contigit **Cartesio**, qui cum ad Divina propius accedere tentaverit, tam fuit defatigatus, tamque ad tenebrarum suarum familiaritatem conversus est, ut magna animi imbecillitate concepta, in manifestas contradictiones sit prolapsus. Nam aliquando affirmat, ideam Dei esse innatam, quia fieri non potest, nisi a Deo. Sic Medit. 3. ,,Superest, ut examinem, qua ratione ideam istam a Deo accepi ; neque enim illam sensibus hausi... nec etiam a me efficta est ; nam nihil ab ea detrahere, nihil illi superaddere plane possum ; ac proinde superest, ut mihi sit innata,,. Aliquando aperte docet, ideam Dei non aliunde esse, quam a mente nostra, a qua formatur. Ita in respons. ad secundas object. ,,Cum dicitis, in nobis ipsis sufficiens reperiri fundamentum ad ideam Dei formandam, nihil a mea opinione diversum affertis : ipse enim expresse dixi ad finem tertiæ Meditationis, hanc ideam mihi esse innatam, sive NON ALIUNDE QUAM A MEIPSO MIHI ADVENIRE,,. Itaque per **Cartesium** idea Dei a *meipso effingi non potest,* quia in ipsa continetur omnis perfectio ; quapropter innata est, et solum Deum agnoscit auctorem. Rursus per eumdem **Cartesium**, ideam Dei esse innatam nihil est aliud quam illam *non aliunde quam a meipso mihi advenire.* Si a meipso advenit, quomodo a meipso effingi non potest ? quomodo Deum solumquod a meipso sit, quod mihi ipsi advenit ? Si mihi advenit ; igitur ante non erat. Si autem ante non erat, ego vero ipse eram, quomodo mihi erat innatum ? Quid hæc sunt aliud, quam simul affirmare, et negare, ideam Dei esse innatam ?

n. 1, p. 223

Sane **Cartesius** Medit. 3 ponit, non innatas, sed adventitias esse, ideas solis, ignis, fragoris ; inquit enim : *Quod nunc strepitum audiam, solem videam, ignem sentiam, a rebus quibusdam extra me positis procedere hactenus judicavi.* Contendetne, hujusmodi ideas esse diversas pro hominum diversitate, quia innatæ non sunt ?

n. 5, p. 223-224

Sic enim scribit Medit. 2. ,,Quod ego sim, qui dubitam, qui intelligam, qui velim, tam manifestum est, ut nihil occurrat, per quod evidentius explicetur,,. Si nihil evidentius occurrit ; igitur ut cognoscam, me intelligere, non oportet, ut praecedat idea entis summe perfecti. Verum **Cartesius** passus memoriae lapsum, nihilque amplius cogitans de eo quod scripserat *loc. cit.* ac sibi plane repugnans, ait Medit. 3. ,,Qua ratione intelligerem, me dubitare, me cupere, hoc est, aliquid mihi deesse, et me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset,, ? Si *nihil occurrit per quod evidentius explicetur, quod ego sim, qui dubitem, qui intelligam, qui velim ; quomodo intelligere non possum, me dubitare, me cupere, simul | nulla in me sit idea entis perfectioris* ? Si autem hæc idea in me esse debet, ut possim intelligere, me dubitare, me cupere ; igitur

aliquid occurrit evidentius, per quod explicetur, quod ego sim qui dubitem, qui intelligam, qui velim. Non ergo cognitio omnium prima est illa, *ego cogito ; ego sum*, sed prima omnium erit cognitio Entis summe perfecti. Corruit ergo totum **Cartesii** systema ; ipse enim, ut præjudicia dubitando exueret, sibi constituit Medit. 2. hoc primum esse pronunciatum necessario verum, *ego sum ; ego existo.* Et Medit. 3. antequam demonstret Deum existere, supponit, se *non adhuc quidem satis scire, utrum sit aliquis Deus.*
Ut ab his nodis se liberet **Cartesius**, in respons. ad secundas object. ait : „Ubi dixi, nihil nos certo posse scire, nisi prius, Deum existere cognoscamus, expressis verbis restatus sum, me non loqui nisi de scientia earum conclusionum, quarum memoria potest recurrere, cum non amplius attendimus ad rationes, ex quibus ipsas deduximus. Principiorum enim notitia non solet a Dialecticis scientia appellari. Cum autem advertimus, non esse res cogitantes, prima quædam notio est, quæ ex nullo syllogismo concluditur„. Ubi id expressis verbis testatus sit **Cartesius**, nescimus : nam Medit. 3. ubi id hoc argumento differit, indefinite ait, *priorem quodammodo in me esse perceptionem infiniti, quam finiti, hoc est, Dei, quam mei ipsius.* Testatus id tamen sit : ipso fatente, saltem principiorum notitia haberi potest, quin præcedat cognitio Entis summe perfecti. Quotus autem quisque erit, qui permittat **Cartesio**, notitiam principiorum non pendere ex cognitione Entis summe perfecti, pendere vero scientiam conclusionum ? Negabitne **Cartesius**, conclusiones eo tineri in principiis, et scientiam conclusionum necessario sequi e notitia principiorum ? Sed inquit, loqui se de scientia earum conclusionum, quarum memoria recurrit, cum non attendimus ad rationes, ex quibus eas deduximus. Mirum ! Ecquænam sunt rationes illæ, nisi principia ? si autem ad principia non attendimus, quomodo habebimus scientiam conclusionum ? nam scientia conclusionum, cum non attendimus ad earum rationes, sive principia ? Scilicet, ex eo quod cognosco, Deum esse, scientiam habebo, hoc est, demonstrare sciam, angulos trianguli esse æquales duobus rectis, etiamsi non attendam ad propositiones, quas Euclides tamquam principia ponit ad id demonstrandum. Ita **Cartesius** desipuit. Nos autem cum S. Thoma q. 22. de ver. a. 2. ad 1. etsi negemus, notitiam Dei explicite requiri ad cetera cognoscenda, affirmamus tamen, Deum implicite cognosci in quolibet cognito. *Sicut enim nihil habet rationem appetibilis, nisi per similitudinem primæ bonitatis ; ita nihil est cognoscibile, nisi per similitudinem primæ veritatis.*

n. 1, p. 225
Cum enim de ipsa scribit l. 8. de Civ. c. 6 sic habet : „Quod recipit magis, et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi, et docti, et in his exercitati homines collegerunt, non esse in iis rebus primam speciem„ (si inde *collegerunt*, utique non præcessit in ipsis *prima species* Entis summe perfecti)„ Viderunt esse aliquid, ubi „prima esset incommutabilis species, et ideo non comparabilis : atque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, et ex quo facta cuncta essent. Ita *quod notum est Dei, ipse manifestavit eis*, cum ab eis invisibilia ejus per ea quæ facta sunt intellecta conspecta sunt„. Intelligat **Cartesius**, quæ sit interpretatio verborum Apostoli, desinatque sibi arrogare potestatem illa interpretandi, quam sibi adsumit in Epist. ad Facultatem Parisien. ubi ait : *videmur admoneri, ea omnia, quæ de Deo sciri possunt, rationibus non aliunde petitis, quam ab ipsamet nostra mente posse ostendi.*

n. 3, p. 481-483
Non defuere, qui **Cartesium** ob inductam universalem dubitationem, Scepticis arma præbuisse dixerint, ad evertendam omnium rerum certitudinem, ut Samuel Parkerus *De Deo, et Prov. Div. Disp.* 6. *Sect.* 15. et Petrus Daniel Huetius *in Censura Phil.* ***Cartes.*** c. 1. §. 15. Non defuere etiam qui eumdem **Cartesium** Atheismi accusarunt, ut | inter alios Gisbertus Voëtius. Vide, si licet, Franc. Buddeum *Traité de l'atheisme, et de la superstition* c. 1. §. 25. Sed ut vera fateamur, dubitatio **Cartesiana** multum distare videtur a dubitatione Scepticorum : nam Sceptici ideo dubitabant, quia arbitrabantur interclusam esse hominibus viam certæ veritatis inveniendæ : **Cartesius** autem dubitationem invexit ad deponenda præjudicia, ut demum veritati cortæ pateret aditus. Ita enim scribit Medit. 1. „Animadverti jam ante aliquot annos quam multa ineunte ætate falsa pro veris admiserim, et quam dubia sint quæcumque istis postea superexstruxi, ac proinde funditus omnia semel in vita esse evertenda, atque a primis fundamentis denuo inchoandum, si quid aliquando firmum, et mansurum cupiam in scientiis stabilire„. Multo magis absolvendum est Vir Catholicus ab atheismi nota. Etsi enim, ut Buddeus observat loc. cit. **Cartesii** rationes ad probandam Dei existentiam, minime concludant, ut alibi ostendemus ; non ideo tamen ille numerari inter Atheos debet ; conatus enim fuit Dei existentiam probare, neque umquam ex animo in dubium vertit Deum existere. „Monebo (*inquit* ***Cartesius*** *Not. ad a. 12. Program. Belg.*) me numquam docuisse, Deum esse negandum, vel ipsum nos posse decipere, vel de omnibus esse dubitandum... sed omnia ista espressissimis verbis rejecisse, validissimisque argumentis refutasse : quod ut commodius

præstarem, proposui initio Meditationum mearum ista omnia tamquam dubia, quæ non a me primumm fuerunt inventa, sed a Scepticis dudum decantata. Quid autem iniquius, quam tribuere alicui Scriptori opiniones, quas eo fine tantum refert, ut eas refutet,, ? Vide Differt. de Methodo pag. 18. Verum etsi ab hisce notis **Cartesium** absolvamus, nullo modo probare possumus ejus consilium dubitandi etiam de existentia rerum sensibilium, etiam de mathematicis demonstrationibus, etiam de principiis per se notis, ut ipse docet 1. p. Princ. §. 4. sq. Quæ enim utilitas, vel necessitas (ut Sturmius advertit Exercit. 3. de **Cartesianismo**) hujusmodi dubitationum, nisi forte eo casu quo cum Sceptico disputaremus, qui omnia principia etiam per se nota negaret ? Sed in eo etiam casu ad convincendum Scepticum satis esset, omnia quæ negat, indisputata relinquere, et ab eo initium disputandi sumere quod Scepticus non posset in dubium vertere, se, scilicet, existere, quia dubitat, nisi enim esset, dubitare non posset ; quemadmodum S. Augustinus l. 3. con. Acad. c. 3. n. 6. ex eo quod Sceptici concedebant, philosophum esse sapientem, probat, sapientem saltem scire sapientiam. Est etiam hæc universalis **Cartesii** dubitatio periculi plena. Quod ipse **Cartesius** animadvertit Dissert. de Meth. pag. 9. sq. *Vereor*, inquit, *ne hoc ipsum quod suscepi, tam arduum, et difficile sit, ut valde paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti, deponamus, non unicuique est tentandum. Et maxima pars hominum sub duobus generibus continetur, quorum neutri potest convenire. Nempe permulti sunt, qui cum plus æquo propriis ingeniis confidant, nimis | celeriter solent judicare, numquamque satis temporis sibi sumunt ad rationes omnes circumspiciendas, et idcirco si semel ausint opiniones omnes vulgo receptas in dubium revocare, et velut a trita via recedere, non facile illi semitæ quæ rectius ducet, semper insistent, sed vagi potius, et incerti in reliquam vitam aberrabunt ; alii vero ferme omnes, cum satis judicii, vel modestiæ habeant ad existimandum, nonnullos esse in mundo, qui ipsos sapientia antecedant, et a quibus possunt doceri, debent potius ab illis opiniones quas sequuturi sunt accipere, quam alias proprio ingenio investigare.* Igitur **Cartesio** ipso teste, ejus universaalis dubitatio periculorum plena est. In hæc autem pericula se dejiciens **Cartesius**, postquam de principiis etiam per se notis dubitandum statuerat ad exuenda præjudicia, in tot ac tanta præjudicia prolapsus fuit, ut 3. p. Princ. §. 45. scripserit, se ad explicanda naturæ phœnomena *hypotheses nonnullas assumpturum, quas constat esse falsas.*

n. 5, p. 649-650

Imo hujus seculi viris, qui eruditionem ostentant, præsertim in rebus physicis, vix aliquid placet, quod non sit ad calculos algebraicos comparatum. Quod tamen Wolfius loc. cit. §. 100 sq. et in **Cartesio**, et in Newtono reprehendit. In **Cartesio** quidem, de quo scribit : *Exemplo nobis est* ***Cartesius****... Cum enim Mersenni desiderio satisfacturus sum de existentia Dei argumentum ad formam demonstrationis geometricæ reducere vellet, quam parum ipsi leges methodi mathematicæ, et genuina demonstrationis forma fuerint perspecta, abunde prodidit in Responsionibus ad objectiones contra Meditiones suas metaphysicas.* De Newtono autem hæc habet : *Doluit ipse vir summus* Isaacus Newtonus*, quod cum se studio mathematico totum daret, ad* **Cartesii** *Geometriam, aliosque Scriptores algebraicos statim progressus | fuisset... Quod si quis more a nobis præscripto demonstrationes syntheticas resolvere didicerit, et genuinam earum formam animo comprehenderit ; si facile animadvertet, quod eam non perviderit* Newtonus*, neque adeo distinte agnoverit, unde pendeat evidentia veritatis extraa Mathesim*. Hi sunt viri summi qui perspectam non habent genuinam demonstrationis formam ; neque agnoverunt, unde pendeat evidentia veritatis extra Mathesim.

n. 2, p. 653-654

In Diss. de Methodo. Nam 1. statuit, *se non præcepta dare audere,* nec aliud *promittere quam historiæ* methodi, quam ipse sequutus fuit, *vel, si malis, fabulæ narrationem*. Et sane fabularum loco habenda sunt quæ de materiæ elementis, et vorticibus postea docuit ; aliæque hypotheses in quibus Philosophiam suam præsertim naturalem exstruxit. 2. arbitrari se dicit, *nihil melius facere posse, quam si omnes opiniones quas fuerat amplexus, e mente deleret,* ædificiumq ; a fundamentis exstrueret, destructo illo quod erat ædificatum. Quod ut præstaret, a notissimis veritatibus in dubium revocandis incœpit, scilicet, an ipse existeret, an semper falleretur, an vigilaret, vel somno indulgeret, cum sibi vigilare videretur etc. De quibus nemo umquam prudens dubitabit, nec dubitare potest. 3. post statutas quasdam regulas ad Ethicam pertinentes, quas modo examini subjicere non vacat, novam methodum aggressus est explicandi ea quæ in *Novo* mundo a se conficto agerentur, si, scilicet, *Deus nunc alicubi in spatiis imaginariis sufficientem ad eum componendum materiæ copiam crearet, varieque, et sine ordine diversas hujus materiæ partes agitaret, ita ut ex ea æque confusum Chaos, atque Poetæ fingere valeant, componeret ;* (Egregia sane methodus explicandi res naturales more Poëtarum) *deinde nihil aliud ageret, quam ordinarium suum cursum naturæ commodare* (En commodato, ac veluti

precarie naturæ singulæ operantur,) *ipsamque secundum leges a se constitutas agere sineret.* (Quid vero si natura quæpiam secundum *ordinarium cursum* non operetur, ut cum miracula fiunt ? Quidve cum homo leges a Deo constitutas transgreditur ?) | Pergit **Cartesius** : *Quænam essent naturæ leges ostendi ; nulloque alio assumpto principio quo rationes meas stabilirem, præter infinitam Dei perfectionem* (quasi illam comprehenderit, atque inter infinitos possibiles modos quibus creaturæ participes esse possunt divinæ perfectionis, in eadem Dei perfectione cognoverit leges, quas Deus naturæ imposuit) *illas omnes demonstrare studui, de quibus dubitatio aliqua aboriri posset* (Jam si hæc vera essent, nulla amplius dubitatio suboriri posset de legibus quas Deus astris, quas elementis, quas brutis, quas hominibus posuit ; essent enim omnes a **Cartesio** demonstratæ) *probereque eas tales esse, ut etiam si Deus plures mundos creasset nullus tamen esse posset, in quo non accurate observarentur.* Si autem nullus alius mundus creari potest, in quo non essent, si rearetur, nisi eædem leges, quæ sunt in mundo creato ; Deus non posset alium mundum condere, quin cælos, planetas, cometas, stellas fixas conderes ; quin particulæ materiæ ad centrum ferrentur, etc. hæc enim omnia secundum illas leges a **Cartesio** disposita, et collocata sunt. Vide in quæ absurda (ne cetera persequar) præceps ruat **Cartesii** methodus. Et nihilominus Genuensis Art. Log. Crit. l. 5. c. 5. §. 2. optat, *ut Philosophi tyrones* ***Cartesii*** *opera legant : in nullis enim aliis libriis methodus analytica exactius servatur.*

n. 2, p. 669

Quare inepte **Cartesius** 1. p. Princ. §. 5. statuit, dubitandum esse, *etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota ;* ipsumque immerito laudat Genuensis Log. Ital. l. 5. c. 2. §. 7. quod philosophari cœperit a revocando ad examen principium illud, *egone sum, aut non sum ?* Vide S. Augustinum l. 3. con. Acad. c. 13.

[NOTE DEL VOLUME II-1]

n. 5, p. 16
Vide S. Augustinum l. 6. de Gen. ad litt. c. 14. ubi hujusmodi principia activa vocat *caussales rationes, quas mundo indidit Deus, cum primum simul omnia creavit.* Stairius in Physiol. nova Experim. p. 151. ad hominem concludit adversus **Cartesium**, ejusque asseclas, frustra ab ipsis poni vortices cælestes pro movendis sideribus, si Deus motus omnes solus perficiat, non facturus per plura, quod per pauciora faceret.

n. 2, p. 37-38
Initio l. 3 Princ. Quærere autem quis posset, cur is Philosophus ; qui hac nostra ætate summis effertur laudibus, veluti maximus, longeque clarissimus naturæ interpres, in Opere De Principiis mathematicis Philosophiæ naturalis, rejecerit in tertium librum regulas philosophandi. Quisquis enim ordine agit, regulas præmittit, ne sine regulis egisse videatur : nam regulæ sunt, ut ex Tullio colligitur l. de opt. gen. Orat. ad quas diriguntur cognitiones eorum, qui ordine volunt agere. Respondebit ille fortasse, ut habet initio ejusdem 3. l. se *in libris præcedentibus principia Philosophiæ tradidisse, non tamen philosophica, sed mathematica tantum, ex quibus videlicet in rebus philosophicis disputari possit.* Mirum ! si ex principiis illis mathematicis in rebus philosophicis disputari potest, nonne saltem aliqua ratione sunt philosophica ? Peto autem, an materia, vis insita, potentia resistendi, vis impressa, leges motuum sint tantum mathematica, an etiam philosophica ? Quis negabit, philosophica quoque esse : nam Mathesis unice versatur circa quantitatem, neque de illis agit, nisi quatenus sunt quanta. De illis autem Nevvtonus disserit in duobus prioribus libris Princip. Neque de illis tantum, verum etiam de tempore, de spatio, de loco, quæ procul dubio philosophica sunt ; nec eorum definitiones duntaxat tradit, sed et propositiones, et demonstrationes, ut ipse vocat, conficit. Qui ergo potuit adserere, se *mathematica tantum principia* in prioribus iis libris tradidisse ? Sed perspice ex ejusdem Nevvtoni verbis quænam sint hæc *principia mathematica tantum*. Statim post relata verba subdit : *Hæc sunt* (scilicet principia illa mathematica tantum) *motuum, et virium leges, et conditiones quæ ad Philosophiam maxime spectant.* Si autem hæc ad Philosophiam maxime spectant, quomodo sunt *mathematica tantum ?* Quod si principia illa prioribus libris comprehensa ad Philsoophiam maxime spectabant, cur philosophandi regulas in tertium librum rejecit ? Mirari jam desinamus : nam Nevvtonus | ibidem postquam ait, *principia se mathematica tantum* tradidisse ; *ex quibus in rebus philosophicis disputari possit* ; facti veluti pœnitens scribit *ne res in disputationes trahatur* (ut quid ergo statuerat principia, ex quibus *in rebus Philosophicis disputari posset*, si res non erat *in disputationes trahenda* ?) *summam illius libri* (scilicet tertii quem populari methodo ante scripsisse se dicit) *transtuli in propositiones more mathematico.* Fortasse etiam in tertio libro principia tantum mathematica posuit, ut nihil proinde de Philosophia naturali egisse videatur, quasi Mundi systema, de quo in eodem lib. disputat, ad Mathematicam tantum pertinere possit. Ut autem magis pateret necessitas duorum præcedentium librorum, in quibus principia illa *mathematica tantum* tradiderat : *Quoniam,* inquit, *propositiones ibi quamplurimæ occurrant, quæ lectoribus etiam mathematice doctis* (neque pro mathematice doctis Nevvtonus scripsit) *moram nimiam injicere possunt* (egregius sane Scriptor, qui lectoribus etiam doctis moram nimiam injicit. Quid erit de minus doctis ?) *auctor esse nolo, ut quispiam eas omnes evolvat* ; (Mirifica principia quæ pro arbitrio negligi possunt) *sufficerit si quis definitiones, leges motuum, et sectiones tres priores libri primi sedulo legat.* Cur ergo duplici libro moram injiciente lectoribus etiam mathematice doctis, Philosophos detinuit, si pauca illa satis erant ? Sed parcendum Nevvtono dicimus : nam ut is in Mathematicis bene doctus, ita in Philosophicis mediocriter doctus erat. Neque hæc nostra sententia est, sed Brucheri Hist. Phil. Tom. V. p. 645. scribentis : ***Cartesianorum**, et Leibnitianorum cohortes magnis animis Philosophiam Nevvtonianam adorti sunt, rati, excelluisse quidem virum celeberrimum in Geometria, et disciplinis Matheseos reliquis, at mediocrem tantum Philosophiæ notitiam possedisse.*

n. 2, p. 45-46
Non dubitat Malebrancius de Method. loc. cit. ad malum etiam genium provocare qui nos fallat. Hinc vero infert, *omnia argumenta quæ vulgo afferri solent ad probandam Dei existentiam, et ipsius perfectiones, deprompta ex existentia, et perfectione rerum creatarum, hoc vitio laborare* (Et hoc igitur vitio laboravit argumentum Apostoli, cum ait, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspici), *quod, nempe, mentem simplici intuitu non convincant ; hæc argumenta quidem sunt ratiocinia, quæ per se convincunt ; sed cum sint ratiocinia, non convincunt, supposito malo genio qui nos fallat. Potentiam quandam esse nobis superiorem satis quidem convincunt ; id enim adstruit hæc ipsa ridicula suppositio* ; *sed plane non convincunt esse Deum,*

seu Ens infinite perfectum. Athei gratias referent Malebrancio, quod argumenta validiora sustuleri ad probandam Dei existentiam, hactenus adhibita ab universis Sapientibus, si **Cartesium** excipias. Quid, si argumentum, quo ille probat Dei existentiam ex idea Entis summe perfecti, quis dicat esse ratiocinium, ideoque esse posse a malo genio qui nos fallat ? Sed miranda certe est hujusce mali genii suppositio, quæ simul *ridicula* sit, et nihilominus tantam vim habeat, ut possit vim | omnem auferre a ratiociniis, quæ per se convincunt. Quodnam erit ratiocinium omnino convincens, si argumenta, *cum sint ratiocinia, non convincunt* ?

n. 5, p. 51

Physici inquam ; fatemur enim, corpus mathematicum in trina dimensione consistere. S. Basilius Hom. 3. Hexaëm. n. 4. „Philosophi, *ait*, hoc corpus dicunt firmum, quod quasi solidum est, et plenum, quod ita appellatur, ut a mathematico distinguatur. Est autem mathematicum, quod in solis consistit dimensionibus, in latitudine, inquam, ac profunditate, et longitudine„. Hanc distinctionem **Cartesiani** negligunt, confunduntque proinde corpus physicum cum mathematico.

n. 1, p. 52-53

Non dubitat **Cartesius**, quin corpus, et spatium extensione constituantur : nam par. 2. Prin. n. 11. *Facile*, inquit, *cognoscemus, eandem esse extensionem, quæ naturam corporis, et naturam spatii constituit.* Hinc vero ibid. n. 21. infert, *hunc mundum, sive substantiæ corporeæ universitatem nullos extensionis suæ fines habere. Ubicumque enim fines illos esse fingamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinit extensa non modo imaginamur, sed etiam substantiam corpoream indefinite extensam in iis contineri.* Mundus igitur ex **Cartesio** nullos extensionis suæ fines habet, quia ultra ipsos semper vere concipere possumus spatia realia extensa, hoc est, verum reale corpus. Esset ergo mundus non solum indefinite, sed etiam infinite revera extensus : nam spatia illa imaginabilia, essent realia : dato autem quocumque spatio, possumus imaginari alia, et alia spatia. Si ergo omnia spatia imaginabilia essent realia : spatia vero essent corpora ; mundus esset infinite extensus. Ludit ergo **Cartesius** vocans mundum indefinite extensum. Esset autem extensio essentia spatii, sive corporis. Mundus ergo esset per essentiam infinitum. Infinitum autem per essentiam est solus Deus, ut demonstrat S. Thomas 1. p. q. 7. a. 2. Complectitur enim totam essendi plenitudinem, estque proinde ipsum esse. Mundus ergo Deus esset, ut Pantheistæ blasphemant. Non utique Pantheismi accusamus **Cartesium**, quasi illum vel propugnaverit, vel intenderit ; scimus enim agnosci ab ipso differentiam essentialem inter substantiam cogitantem, et extensam. Sed quod ex ejus principiis consequatur, mundum esse per essentiam infinitum, jam est demonstratum : quod quidem ad Pantheismum accedit. Hanc putamus fuisse rationem, cur Editor Operum Spinozæ, qui iisdem Præfationem præmisit, dixerit, opera **Cartesii** magnam Spinozæ opem tulisse, *et quod ab ipso* (Spinoza) ***Renati Des-Cartes*** *Principiorum Philosophiæ Pars I. et II. more geometrico demonstratæ prodierint.* Neque enim Spinoza delectatus fuit unice methodo geometrica, qua **Cartesius** usus fuerat, ut arbitratur Buddeus de Atheis. et Superst. c. 1. §. 26. Nam quæ caussa erat, ut primam, et secundam Partem Principiorum **Cartesii** Spinoza more geometrico (quod **Cartesius** non fecerat) demonstrare aggrederetur, nisi quidpiam in illis reperisset, quod impietati suæ favere videretur ? En igitur **Cartesianismi** fructus ex constituta essentia corporis in trina dimensione. Leibnitius Tom. 2. Opp. P. 1. Pag. 234. Edit. Genev. an. 1768. in quadam Epist. super quæstione, an corporis essentia in extensione consistat : „Je, *inquit,* demeure d'accord que naturellement tout corps est étendu, et qu'il n'y a point d'étendue sans corps. Il ne faut pas néanmoins confondre les notions du lieu, de l'espace, ou de l'étendue toute pure, avec la notion de la substance... Cette considération me paroit importante, non seulement pour connoitre la nature de la substance étendue, mais aussi pour ne pas mépriser dans la Physique les principes supérieurs et immatériels, au préjudice de la pieté... Et he m'imagine que si cela étoit plus connu, ou mieux consideré... | les Philosophes modernes joindroient mieux la connoissance de la nature à celle de son Auteur„. *Fateor quidem, naturaliter omne corpus esse extensum, nec aliquam sine corpore extensionem esse. Non ideo tamen confundi debent notiones loci, spatii, et extensionis puræ cum notione substantiæ... Hæc consideratio magni videtur mihi esse momenti, non ideo tantum ut cognoscatur natura substantiæ extensæ, verum etiam ne contemnantur in Physica principia superiora, et immaterialia, cum pietatis dispendio... QUod si id cognitum magis, animadversumque melius foret... Philosophi moderni melius consociarent naturæ cognitionem cum cognitione sui Creatoris.* Teste utimur, quem, ut puto, juniores Philosophi non recusabunt.

n. 2, p. 53-54

Huic rationi **Cartesiani** respondent 1. Res philosophical probandas | non esse ex mysteriis Fidei. 2. **Cartesium** loqui de essentia corporis ex legibus naturæ. 3. posse a Deo mutari rerum essentias. Vide Regium l. 5. c. 1. Sed prima responsio vana est : nam ut in Log. ostendimus §. 916. licet ea quæ sunt Fidei, probari non possint ratione naturali ; non tamen sunt contra rationem naturalem, quia verum vero non opponitur. Altera responsio falsa est ; siquidem **Cartesius** P. 2. Princ. n. 16. ex eo probat repugnare vacuum, *quod extensio spatii, vel loci interni non differat ab extensione corporis.* Loquitur ergo de ipsa essentia corporis absolute, et non tantum ex legibus naturæ ; alioquin vacuum a Deo posset induci. Multo magis falsa est tertia responsio ; cum enim essentiæ, ut diximus in Log. §. 322. mutari nullo modo possum ; quare fieri non potest, ut essentia rei varietur, quin ipsa res destruatur ; idem enim esset dicere, rem esse sine sua essentia, ac dicere, eam esse sine seipsa, hoc est, esse simul, et non esse.

n. 1, p. 54-55

Ita fuit definitum in Conc. Tridentino Sess. 13. Can. 2. Hoc autem argumento pressi **Cartesius**, ejusque asseclæ varia excogitarunt effugia. **Cartesius** in resp. ad quartas objectiones respondet, species quæ remanent in Eucharistia, nihil differre a superficiebus. *Non video,* inquit, *quidnam possit intelligi per speciem panis, præter illam superficiem, quæ media est inter singulas ejus particulas, et corpora ipsas ambientia.* Cum hæc superficies non possit ex **Cartesii** principiis existere sine subjecto, ne Divina quidem virtute, dicat, quæso, in quo subjecto existat. Si in substantia panis ; igitur non tota substantia panis esset conversa in corpus Christi : quod Can. cit. Tridentina Synodus damnat. Si in corpore Christi ; cum hæc superficies in plures dividitur partes, censeretur dividi et corpus Christi ; præsertim ex principiis **Cartesii** non distinguentis dimensiones a substantia corporis : quod etiam a Concilio Trid. fuit damnatum Sess. Cit. can. 3. Si autem superficies illa esset alterius substantiæ diversæ a substantia panis, et a substantia corporis Christi ; in Eucharistia remaneret aliqua alia substantia creata, præter corpus, et sanguinem Christi. Ut autem advertit S. Thomas 3. p. q. 75. a. 2. *Contrariatur venerationi hujus Sacramenti, si aliqua substantia creata esset ibi, quæ non posset adoratione latriæ adorari.*

Maignanus Phil. Sac. C. 22. et in Append. V. ad aliud sese recepit effugium. Ait enim, species Eucharisticas nihil esse aliud, quam actiones objectivas, quatenus Deus qui loco panis, et vini posuit, et conservat | corpus, et sanguinem Christi, obit per se solum actiones omnes sensibiles, quas obiret, si concurreret cum pane, et vino. At vero cum ita loquitur, multa simul congerit absurda : nam 1. Concilium Trid. sess. cit. can. 1. definit, *in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, et substantialiter Corpus, et sanguinem Christi.* Explicet autem Maignanus, quomodo actiones objectivæ, quæ per ipsum nihil aliud sunt, quam motiones excitatæ in sensibus nostris, *contineant* vere, realiter, et substantialiter corpus, et sanguinem Christi. Quia intelliget, substantiam corporis, et sanguis Christi posse vere, et realiter contineri motionibus sensuum nostrorum ? An forte Maignanus vere, realiter, et substantialiter continebat motionibus sensuum suorum corpora quæ videbat ? 2. Si species Eucharisticæ non sunt aliud quam motiones excitatæ in sensibus ; peto, ubi erit Eucharistiæ Sacramentum, cum nullæ in sensibus nostris excitantur, clausa Sacra Pyxide, aut in Sacrario reposita ? Maignanus in Append. V. p. 3. In resp. ad object. 15. ad actum primum sese recipit ; *quatenus Deus vice panis est in præparatione semper ut lucem, ubi primum affulserit, reflectat objective.* Si id verum habet, in Pyxide clausa, erit Christus præsens in actu primo : quod idem est, ac si dicatur, in Pyxide clausa, erit Christus præsens in actu primo : quod idem est, ac si dicatur, in Pyxide clausa potest Christus esse præsens, actu vero præsens non est : nam actus primum potentiam designat. Mitto nunc cetera ; quippe de hoc argumento copiosius alibi agemus, cum de accidentibus absolutis sermo redibit.

n. 2, p. 57

Intelligi vix potest, cur ad S. Augustini auctoritatem provocent **Cartesiani** : nam idem Augustinus l. cit. de quantit. animæ c. 5. sententiam approbat Evodii dicentis, animam esse etiam in cute, quia in cute leviter possumus sentire pungentem. Et Epist. 166. al. 28. n. 4. ubi etiam videtur corpus in trina dimensione reponere, docet, animam hominis esse totam in omnibus, et totam in singulis partibus corporis. **Cartesiani** hæc Augustini placita non recipiunt. Quare igitur ejusdem Augustini urgent auctoritatem ?

n. 1, p. 60

2. P. Prin. n. 34. et n. 35. Addit : *Et quamvis, quomodo fiat indefinita* (antea dixerat infinitam) *ista divisio, cogitatione comprehendere nequeamus ; non ideo tamen debemus dubitare, quin fiat ; quiæ clare percipimus*

illam necessario sequi ex natura materiæ nobis evidentissime cognita. Fatetur igitur **Cartesius**, *infinitam divisionem* sequi *ex natura materiæ*. Natura autem materiæ est per ipsum reposita in extensione, quæ dividitur in illas partes infinitas, ut idem docet ib. n. 4. estque ipsa materia principium corporum. Itaque per **Cartesium** principium corporum est infinitum, ut posuit Anaximander.

n. 2, p. 60

Ut advertit Laertius l. 2. et post ipsum S. Thomas loc. cit. putavit Anaximander, partes illius infiniti principii mutari, totum vero immutabile esse ; ex quo inferebat, ut novimus ex Plutarcho loc. cit. infinitos generari mundos, qui corrupti, in idem infinitum redirent. Videant **Cartesiani**, ne forte hoc idem consequatur ex Renati principiis : nam, ut S. Augustinus advertit l. 11. de Civ. c. 5. *Si cogitent extra mundum infinita spatia locorum* (quemadmodum cogitasse **Cartesium** jam supra diximus not. 1. pag. 52.) *in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare Omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro* (Epicurus in eodem Anaximandri errore fuit) *somniare cogantur* ; *ea tantum differentia* (Vide, utrum Augustinus **Cartesianos** vere descripserit) *quod eos ille fortuitis motibus atomorum gigni asserit, et resolvi, isti autem opere Dei factos dicturi sunt*. Neque refert, **Cartesium** dixisse, non plures, sed unum tantum mundum esse posse : nam etiam Anaximander dixerat, infinitos mundos in idem infinitum redire, omniaque resolvi in unum principium : **Cartesius** autem aperte ait loc. cit. n. 22. *Omnino si mundi essent infiniti, non posse non illos omnes ex una, et eadem materia constare.*

n. 5, p. 61

Quod Aristoteles I. Metaph. c. 7. de Platonicis scribit : *Qui hac ætate sunt, his Mathemata facta sunt philosophia, quamvis dicent aliorum gratia ea oportere tractare* ; id apprime convenit quampluribus ætatis nostræ Philosophis, qui dum reprobant in Scholasticis abstractiones, et præcisiones, quas metaphysicas vocant, et longe a Physica exulare jubent ; ad abstractiones, et præcisiones mathematicas se totos convertunt, ipsisque ut S. Thomas advertit ib. lect. 17. *Facta sunt naturalia, ac si essent mathematica sine motu.* Id in primis contingit **Cartesio**, qui corpus naturale cum mathematico confundit ; atque ceteris contingit, qui, ut loc. cit. habet S. Thomas, *passiones mathematicorum sensibilibus attribuunt.* Quamvis enim mathematicæ disciplinæ physicis inserviant, non ideo tamen putandum est, omne illud quod est mathematice verum, esse item physice verum : nam mathematici considerant quantitates abstractas, nihil de qualitatibus sensibilibus, ceterisque accidentibus curantes ; physicæ vero corpora considerant quatenus | iis omnibus sunt affecta. Hinc sæpissime in libris juniorum Philosophorum reperies propositiones, quæ mathematice sunt veræ, quia a circumstantibus accidentibus præscindunt ; physice vero sunt falsæ, ut infra monstrabimus.

n. 1, p. 78-79

„Pythagorici (inquit S. Thomas I. Metaph. lect. 7.) primi produxerunt quædam mathematica, ut ea rerum sensibilium substantias, et principia esse dicerent„. Vide Empyricum l. 9. Adversus Mathem. ubi ait, Pythagoræos vim tantam numeris tribuisse, ut eos existimavint principia, et elementa universorum. Cur autem numeros induxerint, caussam exponit S. Thomas ib. addens : „Ex hoc autem moti sunt, ut Mathematica introducerent (quod et Platonicos fecisse ait) quia erant nutriti in eorum studio (Vide S. Justinum M. In Dial. cum Triph. n. 2.). Et ideo principia Mathematicorum credebant esse principia omnium entium. Consuetum est enim apud homines, quod per ea quæ noverunt, de rebus judicare velint. Et quia inter Mathematica numeri sunt priores, ideo conati sunt speculari similitudines rerum naturalium et quantum ad esse, et quantum ad fieri magis in numeris, quam in sensibilibus elementis„. Vide Porphyrium in vita Pythag. Idem contingit **Cartesio**, qui naturam corporis physici cum corpore mathematico miscuit. Idem et ceteris qui res physicas explicare conantur perinde ac si mathematicæ forent : quod Nevvtonianis sæpissime placet. Quare hallucinati sunt tum Burnetius in Archæol. l. 1. c. 11. Putans Pythagoram in numeris subintellexisse caussas exemplares, sive ideas, minime vero caussas materiales ; Pythagorici enim docebant, universa componi ex numeris, sicut ex dictionibus constat oratio : dictiones | autem non sunt caussæ exemplares orationis. Vide Stanlejum in Pythag. sect. 4. c. 1. Tum Cudvvorthus in Syst. intellect. c. 3. §. 14. ubi videtur numeros Pythagoricos cum atomis Epicuri confundere. Quamvis postea idem Cudvvorthus c. 4. §. 21. numeros Pythagoræ confundat cum ideis Platonis. Nam Pythagoræi numeros ante corpora, imo ante superficies, et lineas ponebant incorporeos, ita ut a sola mente percipi possent, ut ex Empyrico l. 9. adv. Mathem. Quod certe de atomis Epicuri dici non potest. Tum denique Genuensis Disp. Phys. Hist. c. 2. §. 2. not. 1. qui putat, *monadis* nomine *Chaos* a Pythagoræis

intellectum. Quis autem credet umquam, monadem quæ unitatem significat, indicasse chaos, quod multarum diversarumque rerum confusam, indigestamque congeriem significat ?

n. 1, p. 92
Sic ipse **Cartesius** appellat Diss. de Methodo §. 1.

n. 4, p. 92
ib. §. 64. Quis non credidisset, rerum naturalium vera principia jam fuisse a **Cartesio** demonstrata ? Sed perpende, quam ille sibi constans fuerit. 3. P. Princ. §. 44. „Verumtamen, *inquit,* ne etiam nimis arrogantes esse videamur, si de tantis rebus philosophando, genuinam earum veritatem a nobis inventam esse affirmemus, malim hoc in medio relinquere ; atque omnia quæ deinceps sum scripturus, tamquam hypothesim **Cartesius** proposuit, quorsum tantopere clamavit, deponenda esse præjudicia, nihilque esse admittendum, quod non certum, et evidens foret ? Sed lusit, finxitque **Cartesius** : nam 4. P. §. 206. hypothesim suam inter evidentes demonstrationes fore aliquando recipiendam est arbitratus.

n. 1, p. 93
Cum **Cartesius** 3. P. Princ. §. 1. scripserit cavendum esse, *ne si quos forte limites nobis non certo cognitos, in ipsis* (Dei operibus) *supponamus, non satis magnifice de Creatoris potentia sentire videamur* ; næ ipse satis magnifice sensit, qui in explicandis materiæ motibus, qui certe opera Dei sunt, liberum cuique esse docuit quidlibet assumere ; ac sua hypothesi limites non certo sibi cognitos in iisdem Dei operibus posuit.

n. 2, p. 93
Si cum experientia consonat **Cartesiana** hypothesis, nec aliter quam per experientiam cognoscimus modum, quem Deus elegit in formatione rerum ; quid est hoc aliud quam asserere, Deum elegisse modum a **Cartesio** excogitatum ? Imponit igitur **Cartesius**, cum sua principia tamquam hypothesim proponit.

n. 3, p. 93
Ne credas in hac sententia perstitisse **Cartesium**. Vide quæ scibit immediate §. 47. *Hic suppono, omnes materiæ particulas fuisse tam in magnitudine, quam in motu in se æquales, et nullam in Universo inæqualitatem relinquo, præter illam quæ est in situ Fixatum.* Quo abierunt particulæ illæ *quamproxime æquales*, si omnes materiæ particulæ ita sunt æquales, ut nulla sit in Universo inæqualitas ? Si autem inæqualitas est in situ Fixarum, quomodo omnes materiæ particulæ in se sunt æquales ? an forte stellæ fixæ non pertinebunt ad Universum ? aut Deus cum materiam divisit, tantundem excepit, quantum sufficeret ad servandam inæqualitatem in situ Fixarum ?

n. 4, p. 93
Idem **Cartesius** docuit 2. P. Princ. §. 39. et 42. motum omnem ex se rectum esse, nec nisi per collisionem, et occursum alicujus corporis fieri obliquum. Qua igitur ratione singulæ materiæ particulæ moveri initio potuerunt circa propria sua centra ? Tunc enim nullum occurrit corpus, a quo colliderentur ; omnes siquidem partes fuerunt primum æqualiter motæ. Fac autem fuisse motas circa propria centra, cum omnis motus ex se, sive ex natura sua rectus sit, **Cartesio** fatente, motus ille circa propria centra, esset contra naturam. Deus igitur auctor naturæ ab initio creationis rerum, incœpisset agere contra naturam, vimque illis particulis intulisset.

n. 5, p. 93
Ut particulæ illæ æqualiter potuissent moveri separatim a se mutuo, debuissent esse æqualis ponderis, ac voluminis. **Cartesius** autem 3. P. §. 48. ponit illas inæqualis figuræ, adeoque inæqualis voluminis. Debuissent igitur separatim in se mutuo inæqualiter moveri.

n. 6, p. 93-94
Postquam in situ Fixarum inæqualitatem **Cartesius** agnovit, intelligi | nequit, quomodo constituere potuerit æqualitatem in motibus plurium particularum circa puncta æque remota, et eo modo disposita, quo sunt centra Fixarum. An poterit esse inæqualitas in situ Fixarum, et perfecta æqualitas inter centra Fixarum ?

n. 1, p. 94
Quia **Cartesius** non distinguit spatium a corpore, illudque ponit indefinitum, quæri posset, quid de partibus indefiniti spatii actum fuerit, an motæ fuerint, necne ? nam si motæ fuerunt, cum particulæ illæ sint indefinitæ, indefiniti fuissent motus. Quis autem enumerare valeat motus indefinitos ? Si autem immotæ permanserunt, videat **Cartesius** ne spatium faciat corpus durum, et impermeabile : nam ipse docet 2. P. §. 54. corpora, *quorum omnes particulæ juxta se mutuo quiescunt, esse dura.*

n. 3, p. 94
Cur non plures ? nam mundus ex **Cartesio** 2. P. §. 21. est indefinite extensus.

n. 4, p. 94
Ex eodem materia ne quidem potuisset initio dividi in quaslibet partes. Fingite animis, materiam primum fuisse divisam in partes angulares ; nam in partes sphæricas, **Cartesio** fatente, dividi non potuit : vel partes illæ ita fuerunt motæ, ut anguli unius partis cum angulis partium adjacentium perfecte cohærerent : sic autem neque particulæ potuissent moveri motu circulari circa propria centra, et separatim a se mutuo ; neque proinde anguli fuissent umquam attriti, neque potuissent particulæ illæ in sphæricas evadere. Vel anguli unius partis cum angulis adjacentium non perfecte cohæserunt, ut in gyrum moverentur, et inter se confricarentur ad angulos deponendos ; tunc autem dari debuisset vacuum, cum nulla adhuc essent ramenta ex contritione angulorum, quæ possent spatia replere. Ita imprudens **Cartesius** eo, quo minime vult revolvitur, ac totus corruit **Cartesii** mundus.

n. 8, p. 94-95
Commenta voco : nam qua non dicam evidenti demonstratione, | sed vel levi conjectura, ea omnia unquam probavit, aut probare potuit ? Quibus argumentis suadebit, materiam fuisse primum divisam in partes æquales, in partes angulares, in partes valde parvas, easque fuisse motas variis, sed tamen æqualibus motibus circularibus ? Ex hisce autem fictis, et nulla ratione nixis principiis velle rationem dare de universis effectibus, qui in mundo apparent, uti **Cartesius** jactat loc. cit. §. 47. nonne est ingenio abuti proprio, et aliorum ingenia fabellis implicare ?

n. 3, p. 95
Quomodo Sol, et Stellæ fixæ coagmentari potuerunt ex particulis primi elementi ? si enim hæ particulæ destinantur a **Cartesio** ad replenda intervalla relicta ex attritione angulorum, nullæ supersunt particulæ ex quibus Sol, et Stellæ fixæ componi possint : nam ramenta illa non potuerunt majus occupare spatium, quam ante occupabant anguli. Unde igitur prodiere Sol, et Stellæ fixæ ?

n. 6, p. 95
Non video, quomodo cælum componi possit ex solis particulis primi elementi ? hæ siquidem sphæricæ sunt : constat autem sphæras se contingere tantum in puncto. Ne igitur inter partes cælum componentes detur vacuum, a quo tantopere adhorret **Cartesius**, necessario debent esse aliæ particulæ angulares complectentes globulos ; quæ sunt particulæ striatæ tertii elementi. Cæli igitur etiam ex particulis striatis componentur.

n. 9, p. 95

Quæri potest ex **Cartesio**, cur tres globulos posuit, et non potuis quatuor, aut plures : nam si plures quam tres globuli ordinentur inter se, spatia inter ipsos triangularia non erunt, neque proinde particulæ ea spatia replentes, erunt triangulares, sed quadratæ, pentagonæ, hexagonæ etc.

n. 1, p. 96
3. P. Princ. §. 52. Cum autem ita scripsit, non illi in mentem venit, quod deinde scripturus erat 4. P. § 3. sqq. ubi terram distinguit in tres regiones, quarum prima et intima circa centrum, contineri dicit *materiam primi elementi* minus puram, quamvis in eodem §. 3. statim addat, eandem primam terræ regionem *sola fere materia tertii elementi, plenam esse.* Alteram regionem componi ait *ex particulis minutissimis, utpote quæ prius ad primum elementum pertinebant.* Jam hæ particulæ non sunt aplius striatæ. Si autem minutissimæ erant, ideoque ad motum aptissimæ, quo casu factum est, ut secunda telluris regio ex particulis tertii elementi crassioribus, et ad motum minus aptis coalesceret ? Restat igitur, ut sola tertia regio sit ex particulis tertii elementi. Cur ergo **Cartesius** posuit indefinite, terram ex iisdem tertii elementi particulis componi ? Quod si prima, et secunda telluris regio ex particulis primi elementi componuntur ; quare non etiam prima, et secunda regio Planetarum, et Cometarum ? aut si non rationem **Cartesiani** reddant. Sed de inconstantia totius illorum sententiæ, si ulla sententia cujusquam esse potest fabellas venditantis, sit, ut opinor, dicut satis. Hæc tamen ficta, et commentitia sententia scholas pene occupaverat universas, antequam Nevvtonianismus induceretur. Quam vanæ sunt cogitationes hominum, in quibus non subest scientia ! Quæ Nevvtonianismi sors erit, docebit dies.

n. 2, p. 96
Id observatum in Actis Lipsiensibus an. 1682. et ab Huetio in Censura Phil. **Cartes**. c. 8. Architectus sane improbus, qui multa impia scripsit, ob quæ flammis fuit addictus extremo supplicio puniendus. Sunt qui hominem hunc Prædicatorum Ordini nomen dedisse ajunt. Sed hi, inquit Echardus de Script. Ord. Præd. Tom. 2. p. 342. *nulla hactenus documenta protulerunt, ex quibus constet, Ordinis Prædicatorum vestem aliquando gestasse.* Si autem Dominicanis aliquando ille dicatur adscriptus, ab ejusdem Ordinis Alumnis tamquam apostata, et impius, fuit severius habitus. Vide Edictum Iatum 7. Augusti 1603. Magistro Sacri Palatii Fr. Joanne Brasichellensi, in Indice Librorum prohibitorum edit. an. 1664. Scilicet Ordo Prædicatorum errantes Fratres non defendit, sed condemnat.

n. 3, p. 97-98
Facere non possumus, quin adnotemus, videri ex **Cartesii** principiis fatum Epicureorum induci, omnemque destrui Dei Providentiam. Cum enim **Cartesius** particulas materiæ ad conflanda elementa illa sua, ita primum motas a Deo constituat, ut deinde ex solis naturæ legibus, Deo primum illum motum unice conservante, eædem particulæ moveantur, sive potius motum illum primum inter se invicem communicent ; sequitur, Deum non alio modo rebus providere, nisi conservando motum primo inditum ; mutationes vero universas quæ in mundo accidunt, non Deum habere auctorem, sed evenire ex necessitate naturæ. Qua ex re consequitur etiam, nullam Deo de mundi gubernatione curam esse, et omnia administrari ex fortuita particularum materiæ occursatione, atque concursione. Hinc **Cartesius** Diss. de Methodo p. 27. *Ut aliquas*, inquit, *his omnibus umbras injicerem* (Cur umbraa injicit ? Anne lucem oderat ?) & *liberius quid de iis sentirem dicere possem* (Fortasse neminem futurum suspicabatur, qui umbras dispelleret) *nec tamen receptas inter doctos opiniones, aut sequi, aut refutare teneret* (Novator certe, qui a receptis inter doctos opinionibus se recedere gloriatur. An forte docti ceteri cæcutiebant, ille unus videbat ?) *totum hunc mundum disputationibus ipsorum relinquere decrevi, | et tantum de iis quæ in novo contingerent, tractare* (Magnus sane philosophus, qui mundum jam factum reliquit, ut de conficto dissereret) ,,si Deus nunc alicubi in spatiis imaginariis sufficientem ad eum componendum materiæ copiam crearet, varieque et sine ordine diversas hujus materiæ partes agitaret, ita ut ex ea æque confusum chaos, atque Poëtæ fingere valeant, componeret ; deinde *nihil aliud ageret, quam ordinarium suum concursum naturæ commodare, ipsamque secundum leges a se constitutas agere sineret,,.* Quæ hæc fictio, quæ nihil aliud Deo adscribit, quam inordinatam materiæ agitationem, et concursum commodatum, et potestatem agendi permissam ! Pudere **Cartesium** debuerat, Anaxagoram, ut ex Plutarcho refert Eusebius l. 14. Præpar. c. 6. Affirmasse, *una stetisse corpora confuse primo, deinde a Deo in ordinem distincta ;* dixisseque Platonem, *inordinate mota fuisse primo, deinde a Deo in ordinem redacta* ; ab se vero nonnisi variam, et sine ordine materiæ partium agitationem Deo attribui.

n. 5, p. 100-101

Id erat consequens hypothesis Leibnitianæ tribuentis monadibus perceptionem ; appetitio enim perceptionem consequitur. *Ast id*, inquit Bruckerus loc. cit. *incomprehensibile viris eruditis passim visum est.* Neque tantum incomprehensibile videri debet : nam si S. Augustinus l. Exposit. prop. ex Epist. ad Rom. c. 53. explicans illud Rom. 8. v. 19. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat,* ait, id sic esse intelligendum, *ut neque sensum dolendi, et gemendi opinemur esse in arboribus, et oleribus, et lapidibus, et ceteris hujuscemodi creaturis ; hic enim error Manichæorum est* : quanto magis deneganda erit | inanimatis corporibus perceptio, et appetitio ? Nec juvat, Leibnitium denegasse monadibus apperceptionem, ut vocat, sive conscientiam. Satis est in eis perceptionem, et appetitionem admisisse. Quod vero perceptionem in una tantum repræsentatione multitudinis in unitate reposuit, neque id ferri ullo modo potest, 1. quia hæc repræsentatio, si præsentationem objectivam appellare potest perceptionem ? nisi forte velit repræsentationem objecti in speculo appellare visionem. 2. quia appetitio respondet perceptioni. Cum ergo appetitio per Leibnitium fit actio, actio quoque erit ipsa perceptio. 3. quia Leibnitius loc. cit. n. 14. Putat in hoc lapsos esse **Cartesianos**, quod pro nihilo reputaverint perceptiones, quarum nobis non sumus conscii ; atque idcirco subi persuaserint non dari animas brutorum. **Cartesiani** autem non repræsentationem objectivam, sed perceptionem omnem, et sensationem brutis denegarunt. Leibnitius ergo loquitur de vera perceptione. Quis umquam Scholasticorum in tam absurdas incidit propositiones, ut non modo sensum, sed et perceptionem, et appetitum mutis dederit elementis ? Et nihilominus Leibnitius vir summus est : Scholastici bardi. Perceptio et appetitio in monadibus Leibnitianis quidpiam est *incomprehensibile* quidem, sed tamen summo viro dignum : appetitus materiæ respectu formarum in ore Scholasticorum, utut illum explicent, risum movet, multoque magis horror vacui. Sed

Tranquilla malum melius patientia vincet.

n. 3, p. 141-142

Hac in re convenimus cum Leibnitio loc. cit. pag. 262. ita scribente : „Je vois que quantité d'habile gens croyent qu'il faut abolir la *Philosophie des Ecoles*, et substituer une toute autre a sa place... Mais après avoir tout pesé, je trouve que la Philosophie des Anciens est solide, et qu'il faut se servir de celle des modernes pour l'enrichir, et non pas pour la déstruire. J'ai eu bien des contestations là-dessus avec des habiles **Cartesiens**, et je leur ai montré par les Mathématiques mêmes, qu'ils n'ont point les véritables loix de la nature, et que pour les avoir il faut considérer dans la nature non-seulement la matiére, mais aussi la force ; et que les formes des Anciens, au *Entelechies* ne sont autre chose que les forces : et par ce moyen je crois de réhabiliter la Philosophie des Anciens ou de l'Ecole, dont la Théologie se sert si utilement, sans rien déroger aux découvertes modernes, ni aux explications mécaniques, puisque les mécaniques mêmes supposent la considération de la force„. *Animadverto, plerosque eruditos credere abolendam esse Philosophiam Scholarum, eique aliam subrogandam omnino diversam... Sed omnibus | perpensis, invenio, Philosophiam Antiquorum esse solidam, atque oportere philosophia recentiorum uti ad illam ditandam, non vero destruendam. Congressus sæpe fui cum eruditis* ***Cartesianis****, iisque ostendi ex ipsis Mathematicis disciplinis, apud eos non exstare veras naturæ leges, utque habeantur, necesse esse considerare in natura non solum materiam, sed etiam vim : formas autem Antiquorum, aut Entelechias nihil aliud esse quam vires. Qua quidem via redintegrare puto Philosophiam Antiquorum, sive Scholasticam, qua adeo utiliter Theologia utitur, quin derogem quidpiam aut modernis detectionibus, aut explicationibus mechanicis ; siquidem et ipsæ mechanicæ supponunt vis considerationem.* Hæc descripsimus, ut tandem, si fieri possit, desinant juniores Philosophi Scholasticos lacessere, intelligantque, vel Leibnitio Lutherano homine auctore, Theologiam Scholastica Philosophia utiliter uti ; neque proinde magnos in Theologia progressus fieri posse, nisi Scholastica Philosophia in obsequium adhibeatur.

n. 1, p. 209

Philosophi recentiores, qui omnem substantialem mutationem negant, in adserenda immutabilitate figuræ minimarum particularum cum Democriticis, et Epicureis conveniunt ; quamquam **Cartesius** nonnihil ab iis recedere videatur, ut supra animadvertimus §. 143.

n. 3, p. 234-235

Vide S. Thom. I. p. q. 46. a. 1. ad 1. Diximus autem, *in seipso* ; nam si vacuum inter corpora daretur, capacitas illa reperiretur in iisdem corporibus, qua ratione inter se distarent nullo alio interjecto corpore ; nihil vero reale

esset, distinctum ab ipsis corporibus. Capacitas vero quam concipimus fuisse recipiendorum | corporum, antequam mundus conderetur ; itemque capacitas corporum recipiendorum, quæ foret, si Deus alios mundos conderet, nihil omnino rale est, neque fuit extra Deum ; nam illa capacitas non distinguitur a corporibus ; corpora autem non exstiterunt ante mundum conditum ; mundi vero alii, adeoque corpora in illis, sunt tantum possibilia ; ideoque nullam extra Deum realitatem habent. Ad rem S. Augustinus l. 1. de Gen. con. Manichæos c. 4. ipsos redarguit loquentes de regno tenebrarum, quasi tenebræ aliquid fuerint, antequam Deus faceret lucem. *Inanitas,* inquit, *non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere, Unde erant ipsæ tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem ? Quis illas fecerat, vel genuerat ? aut si nemo fecerat, vel genuerat, æternæ erant tenebræ.* Idem esse videtur sermo ponentium spatium improductum, et æternum ante corpora, et ante mundum : minime intelligentes, *inanitatem non esse aliquid.* Hac autem vel unica ratione corruit quidquid scribit **Cartesius** 2. P. Princ. §. 10 seqq. putans spatium non distingui a corpore, eo quod est trine dimensum, quemadmodum et corpus ; mundum autem esse indefinite extensum, eo quod quoscumque fines illi ponamus, semper ultra ipsos aliqua spatia indefinite extensa percipimus. Non enim **Cartesius** distinxit inter spatium reale, et spatium, quod est mera capacitas corporum recipiendorum. Corruit etiam quod de spatiis *imaginariis* docet Gassendus Phys. sect. 1. l. 2. c. 1. negans illa esse quidpiam ab immaginatione confictum, atque affirmans illa esse *rem veram, ensque reale* improductum, et a Deo independens. Qua in re imponit etiam Sacris Doctoribus, cum ib. ait, eorum maximam partem admisisse ultra mundum spatia ejusmodi independentia, et improducta. Quinam vero ii Doctores fuerint, non dixit, nec sane dicere poterat : nam et veterum Philosophorum plurimi negarunt, extra mundum esse ullum inane spatium. Vide Eusebium l. 15. Præpar. c. 40. Et Stobæum in Eclog. Phys. c. 22. Et Theodoret. ser. 4. de cur. Græc affect. Licet autem quidem Theologi dixerint, spatia *imaginaria esse a parte rei ;* hi tamen neque maxima sunt pars Sacrorum Doctorum ; neque umquam dixerunt, illa esse vera entia improducta independentia a Deo, sed solum esse *negative,* ad eum modum quo tenebræ dicuntur esse. S. Augustinus vero l. 11. de Civ. c. 5. ait, *inanes esse cogitationes hominum ; quibus infinita imaginantur loca, cum nullus locus sit præter mundum*. Et l. 7. Confes. c. 1. *imaginaria* illa spatia vocat *spatiosum nihil.*

n. 1, p. 242

Hoc argumentum **Cartesius** versans, aperte sibi contradicit. Nam loc. cit. 2. P. Princ. n. 18. Ait, ex errore provenisse, ut *non putaremus quidquam obstare, quominus saltem Deus efficiat, ut corpus quod vas aliquod replet, inde auferatur, et nullum aliud in ejus locum succedat.* Statim vero subdit : *Si quæratur, quid fiet, si Deus auferat omne corpus quod in aliquo vase continetur, et nullum aliud in ablati locum venire permittat ? respondendum est, vasis latera invicem hoc ipso fore contigua.* Quid hoc ? Si error est, quo putamus posse Deum efficere, ne aliud corpus vas ingrediatur ; cur statim concedit, posse Deum auferre omne corpus in vase contentum, et prohibere, ne ullum aliud in ablati locum veniat ?

n. 5, p. 252-253

Quid si **Cartesiani** reponerent, rarefactionem contingere, cum aliorum corporum particulæ subtiliores inerant per poros corporum quæ rarefiunt ; condensari vero corpora, cum pori constringuntur, subtilioribus aliorum corporum particulis exclusis ? Id certe neque Nevvtonus, neque Nevvtoniani negare possent. Nam per ipsos ignis, et lux subtilissima sunt fluida, quæ penetrant per omnia. Vide Musschonb. T. 1. Phys. §. 386. ubi loquens de pendulo in vacuo Boyleano quod semel agitatum, oscillabitur usque in æternum, ait : *Probari hoc nequit experimento nullo : nam fieri non potest, ut ulla arte locum perfecte vacuum omni materia acquiramus, cum ignis, et lux penetrent omnia.* Equidem optime. Quare igitur Philosophi isti, qui nihil | admittendum ducunt, quod non sit experimentis probatum, admittunt vacuum, quod nullo experimento probare potuerunt ? Jure ac merito Leibnitius T. 2. Opp. Pag. 277. : *Nevvtonus,* inquit, *experimenta exhibet, ex quibus putat pendere demonstrationem vacui. Ego vero non video, quomodo possibile sit experimenta excogitare, unde hæc controversia accurate definiantur, quam a rationibus unice pendere censeo.*

n. 3, p. 274-275

Cartesius 2. P. Princ. n. 43. *Hinc,* ait, *id quod alteri conjunctum est, vim habet nonnullam ad impediendum, ne disjungatur ; id quod disjunctum est ad manendum disjunctum… id quod movetur, ad perseverandum in suo motu.* Peto, an hæc vis sit intrinseca corporibus, necne ? Si non est intrinseca ; igitur corpora nullam revera in

se habent ejusmodi vim. Si est intrinseca, peto rursus, an sit activa, vel | tantum passiva ? Si est activa ; igitur corpora non omni vi ad agendum sunt destituta. Si est tantum passiva, quomodo corpus conjunctum poterit impedire, ne disjungatur ; et id quod movetur, perseverare in motu ? nam et quod impedit, aliquid agit, et quod in motu perseverat, pergit moveri.

n. 2, p. 297-298

Quamquam non multum esset individendum Nevvtono, si primus fuisset doctrinæ attractionis inventor : nam plurimos habuit oppugnatores, eosque inter Recentiores celebratissimos, Leibnitium, Hartsoekerum, Gamaches etc. imo **Cartesianos**, Leibnitianosque universos ; nihilominus, ut dicamus quod res est, multo ante Nevvtonum, attractionis doctrina fuit tradita ; licet nonnullas leges Nevvtonus addiderit, conatusque fuerit addere etiam demonstrationes mathematicas, quæ tamen vel ipsam attractionem, vel alia principia supponunt, quæ aut dubia sunt, aut plane falsa, ut est illud actionis, cui semper æqualis, et contraria reactio sit, ut infra dicemus ; quibus quidem negatis principiis, tota corruit machina Nevvtonianuma specioso conficta nomine demonstrationum Mathematicarum. Hujus rei caussa, non modo testem damus Davidem Gregory Nevvtonianum *Præfat. Ad Astron.* Qui arbitratus est, attractionis doctrinam fuisse compertam Jonicis, et Italicis Philosophis ; sed monemus, ut adeatur Empyricus l. 2. adv. Phys. Ubi inter motus, qui ab alio fiunt, recenset *Pulsionem, et Tractionem.* Aristoteles quoque 7. Phys. enumerans modos, quibus unum ab altero moveri potest motu locali : *Motus,* inquit, *qui ab alio asseruntur, quatuor sunt, Pulsus, Tractio, Volutio, Vectio. Etenim fit, ut omnes alii ad hos reducantur.* Imo paulo infra ostendit, Volutionem, et Vectionem ad Tractionem, et Pulsionem reduci. Super quæ verba S. Thomas ib. lect. 3. scribit : *Ostendit, quod omnes quatuor motus prædicti ad pulsum, et tractum reducuntur : et quod idem est judicium de omnibus, et de istis duobus. Quia enim vectio constitit in tribus aliis, et vertigo componitur ex pulsu, et tractu, relinquitur, quod omnis motus localis, qui est ab alio, reducitur ad pulsum, et tractum.* Ipse autem Angelicus Doctor I. 2. q. 23. a. 4. ex hac eadem doctrina similitudinem accipit ad explicandas varias animæ passiones. „Omne movens, *inquit*, trahit quodammodo ad se patiens, vel a se repellit. Trahendo quidem ad se tria facit in ipso. Nam primo quidem dat ei inclinationem, vel aptitudinem, ut in ipsum tendat… Secundo si corpus generatum est extra locum prorpium, dat ei moveri ad locum. Tertio dat ei quiescere, in locum cum pervenerit, | quia ex eadem caussa aliquid quiescit in loco, per quam movebatur ad locum. Et similiter intelligendum est de caussa repulsionis, etc.„ Addimus, attractionis doctrinam quidpiam habere simile motui declinationis atomorum, quem Epicurus confixit, ut ex Cicerone discimus l. I. de fin. Utque supra animadvertimus not. 7. pag. 85. Præterea *sympathiam* Veteres agnoverunt etiam in rebus inanimatis. Quid autem hæc, nisi nomine, differt ab attractione ? Non est igitur ambigendum, quin doctrina attractionis nota Veteribus fuerit. Quod si non omnia naturæ phænomena, et leges per eam deprehenderunt. Nec defuere inter Recentiores, qui universalem attractionem ante Nevvtonum admitterent. Guillielmus Gilbertus Opus edidit Londini an. 1600. *De Magnete, Magneticisque corporibus, et de magno Magnete tellure.* Similia scripserat Gassendus in Animadv. De Physiol. Epic. pag. 380. Inter Exercitationes Joan. Christoph. Sturmii editas an. 1636. Altdorfi Noricorum, quo tempore rudis Nevvtoni adhuc erat philosophia, exstat XII. *De Magnorum Mundi corporum Magnetismo.*

n. 2, p. 302

Si enim vis extrinsecus impressa concitaret ad motum corpora illa, jam attractio non a vi intrinseca oriretur, ut Nevvtoniani plerique affirmant, sed a vi extrinseca impellente, ut **Cartesiani** contendunt. Vis igitur attractrix intrinseca e diametro pugnat cum inertia materiæ.

n. 4, p. 313

Cartesianorum instantiam contra secundam hanc legem sibi objicit P. De Turre loc. cit. §. 621. quod nimirum si attractio fit in ratione inversa triplicata distantiæ, hæc lex non cohæreat cum lege gravitatis majorum corporum in ratione inversa quadrati distantiæ. Respondet vero §. 622. 1. ambas has leges esse particulares, et pendere forsan ab aliqua lege universali adhuc incognita. At si ad incognita revocamur, facillimum erit quamcumque solvere difficultatem. Respondet 2. *Attractionis lex universalis hæc est, ut attractio sit inverse ut summa quadrati, et cubi distantiæ, manente eadem materia in corpore* ; ita tamen ut ad minimam distantiam evanescat prima pars legis, et perseveret secunda ; ideove *vis attrahens sit inverse ut cubus distantiæ.* Si vero corpora removeantur, locum habebit non secunda, sed prima pars legis ; proinde attractio *erit inverse ut quadratum distantiæ.* Plane bene. At si attractio ad minimam distantiam est inverse ut cubus distantiæ, cur ille

dubius hæsit in hac secunda lege, an scilicet attractio decrescat *in ratione triplicata, aut forsan majori ?* Si autem hæc attractio est inverse ut cubus distantiæ, quomodo conciliabitur quod scribit Nevvtonus de ratione attractionis radiorum lucis ad vim gravitatis, quæ ratio longissime excedit cubum distantiæ ? Remotis autem invicem corporibus, si attractio est inverse ut quadratum distantiæ, quomodo ille statuit in prima lege, attractionem ad aliquam distantiam non amplius sentiri posse, quia statim superatur a gravitate terrestri ?

n. 1, p. 318
Haud immorandum ducimus in refellenda hac **Cartesii** fabella. Satis erit animadvertisse, rem finxisse **Cartesium**, quæ fieri omnino non potest ex ejus principiis : non enim potest materia primi elementi globulos secundi elementi a quibus circulariter cingitur, premendo movere, ut a centro recedant, nisi tota simul in circulum a centro discedat, illudque vacuum relinquat, quod ex **Cartesio** repugnat. **Cartesius** ipse sibi contradixit : nam 3. p. Princ. n. 46. jam dixerat, *partes omnes materiæ, ex quibus jam cæli, et astra componuntur, tantundem motus accepisse a Deo initio, quantum jam in mundo reperitur* etc. Itaque, ipso auctore, globuli superiores non minus habent motus, et conatus ad motum, quam inferiores ; quomodo igitur ab ipsis prementur ?

n. 1, p. 330
Ita docet 4. P. Princ. n. 20. sqq. Quam vero parum sibi **Cartesius** ibid. constet, demonstrare multis possemus ; supersedemus autem, ne longi simus. Certe Petrus Poiretus l. 3. de erud. solid. Ostendit, triplicem illius verba præferre sensum posse, neque ullum cum veritate consentire. Facere tamen non possumus, quin adnotemus, **Cartesium** loc. cit. n. 23. expresse dicere, *globulos omnes materiæ cælestis nullam habere vim ad alios sui similes loco pellendos.* At vero 3. P. n. 60. docuerat, globulos *superiores ab inferioribus, et omnes simul a materia primi elementi in centro cujusque vorticis congregata, prmi.* Quæ duo sane non modo non cohærentia, sed maxime contraria invicem sunt : nam si globuli nullam vim habent ad alios sui similes loco pellendos, quomodo globuli inferiores premere poterunt superiores, eosque propellere, atque ita eorum celeritatem augere ?

n. 4, p. 330
T. 1. Tentam. Phys. p. 2. cum **Cartesianis** convenit de æthere in gyrum acto ; putat tamen, solo ætheris impulsu, nullo licet interveniente conatu recedendi a centro, subtilioris aeris globulos versus centrum impelli posse, atque ita a massa aeris crassiores partes, et terrestria corpora deorsum trudi, eorum poros subeundo.

n. 2, p. 331
Jampridem S. Thomas 1. de Cælo lect. 18. hujus opinionis meminerat his verbis : „Quidam dixerunt, quod postquam speciem sunt adepta hujusmodi corpora, indigent ab aliquo extrinseco moveri per se... Sicut quidam dixerunt, quod moventur per quandam extrusionem, inquantum scilicet unum corpus truditur ab alio fortiori. Ponebant enim, quod omnium corporum erat naturaliter unus motus ; sed dum quædam eorum ab aliis impelluntur, fit, quod quædam eorum moventur sursum, quædam autem deorsum„. Sed clarius 2. de Cælo lect. 24. Eamdem prorsus **Cartesii**, **Cartesianorumque** hypothesim in Empedocle rejicit, qui descensum gravium ad medium, et levium a medio, attribuebat conversioni, sive gyrationi ; imo ex eadem conversione inferebat, uti **Cartesius**, terram e proprio vortice non dimoveri ; idque explicabat *exemplo de aqua contenta in cyathis. Si enim vas illud in circuitu velocius moveatur, et sit aliquod foramen in aliqua parte ærei vasis, multoties vase circulariter moto, aqua descendet ad inferiora vasis ærei, ubi est foramen, et inde non cadet extra vas... quia scilicet prohibetur ex velocitate motus ipsius vasis, ita quod aquæ ante rapiatur a motu vasis, quam possit cadere. Et simili ratione dicunt, quod terra impeditur a velocitate motus cæli, ne deorsum cadere possit.*

n. 2, p. 333
Loc. cit. „ Videmus, *inquit,* quod nullum corpus illuc fertur per violentiam, unde per violentiam removetur. Ex hoc enim aliquod corpus a loco aliquo per violentiam removetur, quia natum est ibi esse ; unde illuc naturaliter, et non per violentiam fertur. Si ergo ponatur, quod motus aliqui corporum gravium, et levium, quibus ab aliquibus locis removentur, sint violenti, non potest dici, quod motus contrarii, quibus ad illa loca feruntur, sint

violenti,,. Invicta sane ratio, quam nemo **Cartesianorum**, quod sciam, unquam vidit, multoque minus labefactare fuit aggressus.

n. 1, p. 334

Cartesiani ut hunc solvant nodum, ad alios minimos vortices confugiunt, quibus totius terræ vortex sit compositus ; sic vero putant explicare posse, gravitatem esse materiæ proportionalem. Sed fingant licet vortices minimos, quot voluerint, vis argumenti perstat : nam fieri non potest, quominus inter minimos illos vortices aliqui vapores, et exhalationes misceantur illorum motus perturbantes.

n. 3, p. 334

Huetius in Censur. Philos. **Cartes**. c. 7. n. 2. ex vortice **Cartesiano** consequi animadvertit, *corpora terrestria a globulis materiæ cœlestis depressum iri non versus terræ centrum, sed versus centrum vertiginum suarum ; nempe unumquodque versus centrum vertiginis globulorum, a quibus deprimitur ; hoc est, versus punctum illud axis terræ, in quo secatur axis ab area vertiginis hujus.* Idipsum urget Jacobus Bernoullius in Actis Lipsien. an. 1686. Explicari autem non ita facile potest, quot finxerint varias materiæ subtilis in vortice directiones **Cartesii** affectæ, ut huic occurrerent difficultati. Sed irrito plane conatu : nam ex tam multis, tamque variis, imo infinite diversis, ut Hugenius posuit, materiæ subtilis directionibus in orbibus circa terræ centrum ; motus gravium perturbarentur, nec ulla pateret via, qua gravia cogerentur ad terram per lineas perpendiculares centro telluris, a quibus deturbarentur per infinitas illas diversas directiones materiæ subtilis ; maxime si materia eadem, ut Bulfingero placuit, moveretur duplici vertigine in quatuor vorticibus invicem contrariis.

n. 2, p. 335

In ipso **Cartesii** experimento præsupponitur *materia plumbo levior.* Quid igitur experimento conficitur ad probandam caussam gravitatis ? Nam si frusta ligni ideo essent gravia, quia impellerentur a globulis plumbeis, quid opus fuisset accipere *materiam plumbo leviorem* ? Et si materia illa levior erat ante impulsum ; non igitur impulsus quidquam contulit ejus gravitati.

n. 2, p. 336-337

Musschen. Phys. §. 15. gravitatem reponit inter attributa corporum quæ intenduntur et remittuntur. Clarkius etiam in Not. ad c. 28. T. 2. Phys. Rohaultii, in eandem sententiam ire videtur. P. De Turre Phys. T. 1. §. 614. aperte docet, *gravitatem esse vim universalem a Deo inditam materiæ partibus.* At P. Jacquier Phys. sect. 1. p. 1. c. 3. a. 2. postquam reprobavit vorticem **Cartesianum**, ostenditque (ratione licet ducta ex motu telluris) ab eo vortice repeti non posse gravitatis caussam, neque ab ullo impellente fluido, quod easdem cum fluidis cognitis proprietates habeat ; sibi opponens quandam Nevvtoni Epistolam ad Boyleum, in qua Nevvtonus idem caussam gravitatis reponit in pressione cujusdam fluidi ætherei : quod et statuit cum l. 3. Opt. q. 21. tum in Schol. Gen. respondet, hanc Nevvtoni fuisse hypothesim (Nevvtonus autem in 1. philosophandi regula quamcunque a Physica ablegandam voluit hypothesim ; quare si hypothesim adoptavit in explicanda gravitatis caussa, secum ipse pugnavit in regula constituta) ; nec satis dignam auctore suo celeberrimo eam videri hypothesim, commentitiumque esse illum ætherem, cui gravitatem tribuit ; veruntamen Nevvtonianos credere, magistrum suum in ea proponenda hypothesi *usum fuisse quadam philosophica prudentia* (novum sane prudentiæ genus, quæ ut aliis obsequatur, commenta probat.) Hanc autem *philosophicam Nevvtoni modestiam* P. Jacquier imitatus, nequaquam audet pronuntiare, *nullam esse extrinsecam, et ab aliquo fluido oriundam gravitatis caussam ;* idque unum affirmat*, ex vorticibus* ***cartesianis*** *eam repetendam non esse, neque ex ullo fluido, quod easdem cum fluidis cognitis proprietates habeat.* Verum si ipso P. Jacquier auctore in eodem art. reprehensione digni sunt **Cartesiani** admittentes, *fluidum, quod gravitatis caussa est, a nostris fluidis longe diversissimus esse, alias proprietates habere, et secundum alias plane leges agere* ; si ipsemet dicit : *ita pjilosophari nugari omnino est* (fortasse aliquis **Cartesianus** dicet, illum fuisse nugatam, cum ibid. c. 2. a. 1. ad 3. Instantiam contra universalem attractionem, respondit, *attractionem magneticam esse alterius plane generis, et ad magnetem ferrumque duntaxat pertinere*) si denique addit : *tali philosophandi modo jam ineptissima quæque hypotheseon commenta in Philosophiam invehere licet, et de universi Physica actum est* ; quomodo igitur pronuntiare non audet ab aliquo fluido oriundam esse gravitatis caussam, si nempe non easdem

cum fluidis cognitis proprietates habeat, postquam reprobavit quodcunque fluidum quod a | nostris fluidis sit diversum, et alias habeat proprietates, et secundum alias leges agat ; illudque inter commenta ineptissima reposuit, quæ si in Physicam inducantur de Physica actum sit ? Videat, ne quis **Cartesianus** dicat : *ita philosophari nugari omnino est.*

n. 6, p. 340-341

Inter negantes absolutam levitatem Platonem in *Timæo* reponit | P. de Turre Phys. T. 1. §. 477. Verum immerito ; nam licet Plato in *Timæo* dari in mundo sursum, et deorsum, quia est rotundus, et omnia in ipso æque distant a medio ; docet tamen, absurdum esse dicere, vi omnia moversi deorsum, aut sursum. „Illud, *inquit,* dictu absurdum est, esse duo quædam natura loca a se invicem longo intervallo distincta : et unum quidem deorsum vocari, ad quem locum ea deferantur quæcunque molem quandam corporis habent ; alterum vero sursum, ad quem vi omnia moveamur. Cum enim Cælum omne rotundum sit, quæcunque a medio æque distantia extrema facta sunt, similiter esse oportet extrema„. Quæ verba, si quæ eis inesset vis, omnem a corporibus non levitatem modo, sed etiam gravitatem excluderent ; nullo autem modo inferunt, ut Turrius putat, levitatem omnem esse ortam a præpollente gravitate. S. Thomas 1. De Cælo lect. 5. de hac Platonis sententia loquens : *Plato,* inquit, *dicebat quod in mundo secundum se non est sursum propter rotunditatem mundi ; corpus enim rotundum est undique uniforme. Dicebat autem quod sursum, et deorsum est in mundo solum quoad nos, etc.* Ex quibus vides, **Cartesium** nihil hac in re protulisse novi. Sed de situ naturali elementorum ex sententia Platonis vide S. August. l. 22. de Civ. c. 11. ubi refellit Platonicorum errorem dicentium humana corpora non posse in Cælo collocari, quia terra ordinem habet infra cetera elementa.

n. 4, p. 344-345

Diximus, qua ratione est particeps purissimi ætheris ; fatemur enim ignem nostrum esse impurum, ut paulo post dicemus. Verum in ipso igne pars subtilissima quædam est, quam dicimus absolute levem. Sicut enim ex aqua vapores, et ex terra exhalationes virtute solis sursum feruntur ; ita virtute solis æther undique diffunditur. Et sicut ex aqua fit aer, ita ex aere fit ignis, cujus tenuissimæ partes æquant in subtilitate ætherem in suprema regione existentem, quamvis partes illæ facillime in auras abeant. S. Augustinus l. 2. de Gen ad litt. c. 3. „Ignem, *inquit,* ad suprema emicantem etiam ipsius aeris naturam velle transcendere, quis non sentiat ? quandoquidem si ardentem faculam capite deorsum quisque teneat, nihilominus flammæ crinis ad superiora contendit. Sed quoniam circumfusi, ac superfusi aeris præpollenti | constipatione subinde ignis extinguitur, et in ejus qualitatem per abundantiam superatus subinde commutatur, ac vertitur, ad universam ejus altitudinem transiliendam non potest perdurare. Itaque super aerem purus ignis esse dicitur Cælum„. Non videmus autem, cur ætheri omnis non sit deneganda gravitas ex ipsis Recentiorum principiis. Nam si **Cartesium** audimus 3. P. Princip. n. 56. non modo materia subtilis, sed etiam globuli jugiter conantur recedere a centris vorticum. Cur ergo denegabitur ætheri longe rarissimo, quod globulis conceditur ? Neque enim aliud nomine absolutæ levitatis intelligimus, nisi naturalem nisum necedendi a centro. Nevvtonus quoque Opt. l. 3. q. 21. consentit, particulas ætheris esse longe tenuiores particulis lucis, et conari a se invicem recedere. Quod si sol particulas ætheris longe tenuiores. Quænam igitur erit gravitas particularum ætheris, si jugiter a se invicem, et a sole, ideoque a centro Universi, ex Nevvtoni systemate, recedere conantur ?

n. 3, p. 358

Turrius Phys. T. 1. postquam §. 482. Statuit secundam gravitatis legem, *Gravitas est materiæ proportionalis ; et §. 485. Gravitas ad quascunque distantias constans est ;* statim excipit, docetque, *in diversis locis gravitatem minui* ; addit vero : *sed hoc in extrinsecam caussam rejiciendum est.* Quæso, si in diversis locis gravitas minuitur, quomodo stabit lex generalis de gravitate materiæ proportionali, et constanti ad quascunque distantias ? Si autem minoratio gravitatis in diversis locis rejicitur in caussam extrinsecam, quare non ipsa gravitas in caussam extrinsecam rejicietur ? Quod si rejiciatur, immerito Turrius ib. §. 549. sqq. insurgit in **Cartesium**, quod putet, gravitatem oriri a vi centrifuga matriæ vorticis, quia sequeretur, gravitatem non esse proportionalem materiæ : nam pari jure **Cartesiani** in ipsum regerent, gravitatem non esse materiæ proportionalem, si diminutio gravitatis in caussam extrinsecam rejiciatur. Addit Turrius §. 530. *Cum egimus de secunda gravitatis lege, jam ostendimus, gravitatem in eodem loco constantem manere, licet corpus ad plures* (ad *quascunque* ante dixerat) *evehatur a terra distantias.* De secunda ea lege egit ipse ib. §. 505. sqq. nihilque habuit *de eodem loco,* sed *tantum de eadem altitudine,* e qua corpora demittantur ; imo ex altitudine,

quod eadem sit, deduxit, tempora debere esse æqualia. Quomodo igitur ex secunda lege ostendit, gravitatem in eodem loco manere constantem, etiamsi corpus ad *plures*, imo *quascunque evehatur a terra distantias* ? Addit præterea §. 530. cit. *Dabitur quidem aliquod discrimen juxta ea quæ diximus in lege tertia gravitatis* (est hæc lex pro majoribus a terra distantiis. Vide ib. §. 515. nunc autem trahitur ad secundam legem, hoc est, ad minores a terra distantias) *sed hoc adeo est minimum, ut sensibus explorari non possit.* Jam si aliquod datur discrimen, gravitas in eodem loco non manebit constans. Quod si constans non est, nutabit secunda lex gravitatis.

n. 2, p. 362

Cartesianorum opinio se ipsam destruit : cum enim partes materiæ vorticis sub Æquatore majorem describerent circulum, quam sub Tropicis, et prope Polos, sequeretur, majori velocitate corpora debere descendere sub Æquatore, quam sub Tropicis, et prope Polos, quia magis urgerentur in majori circulo ab incumbentibus partibus materiæ vorticis ; ideoque gravitas major esset sub Æquatore, quam sub Tropicis, et prope Polos.

n. 4, p. 365

Si hæc **Cartesii** definitio vera foret, sequeretur, res quæ revera moventur quiescere ; moveri autem illas quæ revera quiescunt. Certe navarchus tenens navis gubernaculum, non se trasnfert ex vicinia corporum, quæ ipsum immediate contingunt, et spectantur ut quiescentia ; et nihilominus quis negabit ipsum moveri motu navis, in qua defertur ? Piscis autem qui in aqua certo loco consistit, et contra aquam præterfluentem nititur, moveri dicendus esset, quia diversis aquæ partibus applicatur ; et cum navis e portu solvit, littora quiescentia moveri deberent ; nam e vicinia navis, quæ ab iis qui in ea sunt, spectatur ut quiescens, littora successive recedunt. Itaque verum habebit Virgilianum illud Æneid. 3.

Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.

Maxime si attendatur, ex **Cartesii** sententia loc. cit. §. 29. illam corporum translationem esse reciprocam et *plane eandem vim, et actionem requiri ex una parte, atque ex altera.* Qua ex re ille infert 3. P. Princ. §. 38. plus motus terræ attribui in systemate Tichonico terræ immobilis, quam in hypothesi Copernicana ; quia, inquit, intelligi nequit, cælum, et stellas circa terram volvi, *quin simul intelligatur, fieri translationem omnium partium terræ ex vicinia partium cæli*. Quid vero absurdius poterat non modo esse, sed cogitari hujusmodi translatione corporum reciproca ? Anne e foro cum revertimur, forus ipse simul a nobis per motum localem recedit ?

n. 2, p. 370

2. P. Princ. §. 27. At §. 36. Admittit, modum illum in singulis materiæ partibus mutari. Quomodo mutabitur, si motus nihil est aliud, quam ipsum corpus quod movetur ? Mutatio illa realis est, non ficta : nihil autem reipsa mutatur, nisi reipsa vel aliquid recipiat quo prius carebat, vel aliquid amittat, quod prius habebat. Ibid. **Cartesius** statuit, determinatam quantitatem motus a Deo in corporibus fuisse productam. Quantitas igitur motus terminavit Divinam actionem productivam. Quantitas autem illa fuit in corporibus producta ; igitur actio illa Divina terminum habuit non corpora, sed quantitatem motus. Actio autem Dei productiva ad aliquid reale terminantur ; attingit enim esse rei. Igitur **Cartesio** ipso auctore, motus terminans Divinam actionem debet esse quidpiam reale distinctum a corporibus. Hanc consequutionem vidit vel ipse Gamachius in Diss. 1. Astronomiæ Phys. quamvis **Cartesio** addictus. Quod autem ait Turrius Phys. T. 1. §. 282. Ab se non intelligi, quomodo ea consequutio inferatur, propterea quod potest mutari figura corporum, absque eo quod aliquid reale corpori addatur ; petitio principii est ; idem est de motu, et de figura quæritur, an scilicet sint quidpiam a corpore reipsa distinctum ?

n. 1, p. 388

Hinc falsum est quod scribit **Cartesius** 2. P. Princ. §. 44. motum non esse motui contrarium, sed quieti. Cum autem ait, motum quieti esse contrarium, vel loquitur de omni quiete corporis tam in termino, ex quo incipit motus, quam in termino, in quem tendit ; vel de quiete in termino ad quem ; vel de quiete in termino ex quo. Et quidem si de quiete in termino ex quo, concedimus utique, quietem esse contrariam motui ; sed ex hoc ipso sequitur, motum esse contrarium motui ; si enim duo corpora recedant a duplici termino in quo quiescebant, et accedant ad duplicem terminum oppositum, jam motus erunt oppositi. Nequit autem intelligi de quiete in

termino ad quem : nam ut advertit S. Thomas 5. Phys. lect. 9. *Quies in termino ad quem est motus perfectio,* sive perficitur motus in ipsa quiete in termino ad quem, quia *ipsum moveri ad terminum, est fieri quietem. Unde cum motus sit caussa ipsius quietis, non potest ei opponi, quia oppositum non est caussa sui oppositi.* Denique si intelligeretur de quiete in utroque termino, tunc nullus esset motus ; ideoque nihil esset cui quies opponeretur. Dicimus autem, motum esse contrarium quieti, quia *cum motus sit inter duos terminos affirmatos, quæ est in contrario ; sicut motui qui est ex albo in nigrum, contrariatur quies quæ est in albo. Et motui, qui est ex contrario in hoc, contrariatur quies quæ est in contrario, sicut motui qui est ex nigro in album, contrariatur quies quæ est in nigro.*

n. 4, p. 398-399
T. 2. Opp. p. 1. Pag. 70. „J'ai fait voir, qu'il est tojours vrai, qu'il se conserve la meme force mouvante, pour laquelle il (**Descartes**) avoit pris la quantité du mouvement„. *Jam ostendi verum semper esse, conservari eandem vim moventem, pro qua* ***Cartesius*** *sumserat quantitatem motus.* Non occurrerat Leibnitio Epistola 72. 1. | p. **Cartesii** ita scribentis : „Cum dixi, tantundem motus in materia semper manere, hoc intellexi de vi ejus partes impellente, quæ vis nunc ad alias partes materiæ, nunc ad alias se applicat„. Igitur non videtur **Cartesius** a Leibnitii sententia discessisse. Verum dum **Cartesius** in ea Epistola negat, se fuisse loquutum de motu, sed tantum intellexisse de vi ; aut loquitur de vi corporibus intrinseca, qua unum corpus alterum impellit ; aut de ipso Deo, qui corpora movet. Si de vi corporibus intrinseca, palinodiam canit, atque in corporibus agnoscit principium aliquod activum. Si autem loquatur de Deo corpora movente : cum ipse **Cartesius** dicit, *Deum conservare in materia tantundem motus, quantum initio creavit,* intelligendus esset de Deo conservante seipsum : quo nihil dici ineptius potest.

n. 4, p. 400
Vvallisius, Vvrennus, Hugenius, Mariotte, Leibnitius, VVolfius, Nevvtonus, aliique erroris **Cartesium** damnant, quod docuerit, motum nunquam perire ; nam ex Dynamica constat, motum persæpe destrui. Sed de hac ipsa motus destructione suscitari ex ipsis possumus, qua ratione contingat ? nam si motus est modus a corporibus indistinctus, quomodo potest destrui, non destructis corporibus ? Quid perit, cum motus destruitur, si motus nihil addit corporibus motis ?

n. 1, p. 401-402
Hæc doctrina **Cartesio** excidisse videtur, a qua certe vir Catholicus abstinuisset, si pessimas pervidisset consequutiones. Vide not. 3. pag. 97. Cudvvorthus Syst. Intell. c. 6. §. 63. **Cartesianorum** sententias perstringens : *Hi certe philosophi,* inquit, *quamvis Deum esse fateantur, ipsos tamen veteres Dei contemtores, qui ex motu corpusculorum profecta statuebant | esse omnia, impudentia, et immoderata temeritate vincunt.* Id nos quidem negamus : at facile in sententiam imus Moshemii ib. not. f. **Cartesium** *contentione ingenii, ac meditationis fervore abreptum, in multas incidisse opiniones justo audaciores, quibus ad rem suam ornandam usi sunt postea, qui Deum, et Religionem sublatam voluerunt.* Utinam non idem dici posset de plerisque aliis juniorum Philosophorum opinionibus ! Ex **Cartesio** certe Helvetius in Opere *l'Esprit Discur.* 3. c. 9. Videtur accepisse quod docet, motum nempe a Deo materiæ fuisse impressum, ideoque elementa fuisse mota ; ex ipsis vere in immenso spatio errantibus, alias atque alias combinationes fuisse temere constitutas, quousque in eum devenere statum, quem nunc obtinent.

n. 1, p. 426
Huic sententiæ adhæserunt **Cartesius** 2. p. Princ. §. 36. Cordemæus Tract. de corp. et ment. Distinct. disser. 2. et præ ceteris Malebrancius de inquisit. verit. l. 6. c. 3.

n. 5, p. 427-428
P. De Turre Phys. T. 1. §. 289. duplicem distinguit motum in natura, alterum, qui procedit a corporibus animatis, alterum, qui invenitur in corporibus caelestibus, in sole, in terræ visceribus. Priorem oriri dicit ab animantium *voluntate* ; posteriorem esse motum illum, quem Deus initio creationis corporibus tribuit, et quem una cum corporibus conservat. Deinde §. 292. Rebrobat opinionem **Cartesii** statuentis, a Deo perpetuo conservari in

corporibus eandem motus quantitatem, quam initio creavit. Postea §. 295. Duplicem ponit motus caussam, *primam* seu *remotam*, quæ Deus est jugiter conservans motum, quem initio creavit ; et *secundam* seu *proximam*, quæ est ipsum corpus, in quo Deus motum conservat : hanc vero, ait §. 304. esse vim attrahentem Nevvtoni a Deo tributam singulis materiæ partibus ; cui vi ipse ib. addit lucem, seu ignem ubique diffusum, et omnia pervadentem. Hæc qua ratione cohæreant, non video : nam primum, quæ scribit de motibus corporum animatorum procedentibus a voluntate, qui possunt vera esse de motibus brutorum, in quibus est quidem appetitus sensitivus, *voluntas* vero nullo modo ; est enim voluntas appetitus | rationalis. Deinde quod addit de motu initio creationis a Deo corporibus tributo, et jugiter conservato, aperte pugnat cum iis quæ scribit contra **Cartesium**. Pugnat etiam cum ejus §. 292. in quo ex Dynamica probat, motum persæpe destrui : nam si destruitur, utique non conservatur. Si autem caussa proxima motus est vis attrahens, petimus, an hæc vis distinguatur a motu corporibus a Deo initio attributo, vel non distinguatur. Si non distinguitur ; igitur in corporibus erit aliquod principium motus distinctum a motu, quem Deus initio corporibus indidit. Hoc autem principium, ne sit frustra, debet habere aliquem effectum, qui utique motus erit. Non ergo motus, saltem omnis, qui invenitur in corporibus inanimatis, idem eri tac motus initio creationis a Deo corporibus tributus, et jugiter conservatus. Denique lux, seu ignis undique diffusus, aut vim habet producendi motum distinctum a motu tributo corporibus initio creationis, aut nullam habet ejusmodi vim. Si nullam vim talem habet ; igitur frustra ponitur inter caussas proximas motus. Si vim illam habet ; igitur et datur aliquod corpus quod non est omnino iners, et motus qui invenitur in corporibus inanimatis, non est idem ac motus a Deo corporibus tributus initio creationis. Fortasse ad hæc reponet Turrius quæ §. 286. dixerat de natura motus : *hæc inexplicabilia esse contendimus :*nos autem et pugnantia esse monstravimus. Melius P. Jacquier Phys, sect. 1. p. 1. c. 1. a. 1. ait, caussam gravitatis, ideoque motuum corporum gravium, repetendam non esse ab aliquo corpore : quod plane concedimus, dum modo non intelligatur de omni caussa proxima, nec excludatur vis gravitatis innata corporibus. Sed cum ipse ib. c. 3. a. 2. dicat, ejusmodi gravitatis caussam esse ignotam, jam ad inexplicabila se refert.

n. 5, p. 437-438

Reprobans Nevvtonus eam **Cartesii** sententiam, l. 3. Opt. Q. 31. *Corpora*, inquit, *quæ vel tam perfecte dura sint, vel tam plane mollia, ut vim elasticam nullam habeant, non utique a se invicem repercutientur. Impenetrabilitas illud duntaxat efficiet, ut eorum motus sistatur. Si duo istiusmodi corpora inter se æqualia motibus æqualibus, et adversis recta in spatio vacuo concurrant, utique per leges motus uno ipso in loco, ubi concurrent, sistentur ; motumque suum omnem amittent, et quiescent usque, nisi vi elastica prædita sint, motumque novum inde accipiant… Atque hoc quidem experiundo comprobari poterit, si duo pendula æqualia ex æqualibus altitudinibus ita sint ex plumbo, vel argilla molli ; jam motum suum omnem, vel fere omnem amittent : sin ex materia aliqua elastica sint, jam motus tantum duntaxat retinebunt, quantum a vi illa elastica denuo acceperint. Quod si quis contendat, ea de motu suo nihil amplius amittere posse, quam quod in alia corpora trasnferatur ; jam consequens erit, ea in vacuo nihil omnino de motu suo amittere posse.* Habemus igitur ex Nevvtono I. corpora non elastica, si incurrant, non se repercutere, sed motum amittere. 2. idem contingere in vacuo. (Quid erat necesse id addere : nam si corpora illa sistuntur in aere, quanto magis sisterentur in vacuo, ubi nulla esset ambientis aeris resistentia ?) 3. ex elasticitate tantundem motus retinere, quantum ex ipsa denuo acceperint. 4. | nihil motus illa esse amissura in vacuo, si tantundem unum amitteret, quantum in alterum trasnferretur. Qui hæc possunt cohærere cum doctrina qua statuitur universim, tantum motus accipere corpus patiens, quantum amittit corpus agens, ut absolute P. Jacquier loc. cit. a. 2. ponit ?

n.2, p. 442

Dum hæc scribebat **Cartesius**, minime animadvertit, se pugnantia loqui, et eodem tempore, quo statuit, omnem materiæ motum ex seipso esse rectum, ab se negari omnem motum rectum materiæ. Nam quomodo potuisset motus ex se rectus fieri circularis propter occursum aliorum corporum ; nisi ponatur fuisse aliquod vacuum a quo tantopere **Cartesius** refugit ? Vide S. Thom. 2. de Cælo lect. 6.

n. 2, p. 470

Hac ratione corruit, quod ajunt **Cartesiani**, ac Nevvtoniani ; scilicet corpus pendulum in puncto A (fig. 44.) conservare per vim inertiæ velocitatem acquisitam in descensu perpendiculari DA, si hæc opponitur ascensui,

et descensui per arcus AB, AC ? Ut prætereamus, intelligi non posse, qua ratione celeritas conservetur, quæ in successione consistit.

n. 3, p. 473-474

Ex qua quidem contrarietate motuum sequitur quod S. Thomas docet loc. cit. scilicet, in puncto reflexionis debere intervenire quietem mediam. Nam si omne quod movetur reflexe, movetur motibus contrariis, non potest esse unus, et idem motus directus, et reflexus : nam motus contrarii non possunt simul inesse eidem subjecto, ut supra ostendimus §. 685. Quod si motus non est unus, et idem, non erit continuus, quies media. *Illud quod reflectitur,* inquit S. Thomas, *secundum motum rectum, movetur contrariis motibus. Contrarii enim motus sunt, quorum termini sunt contrarii. Sed contrarietates loci sunt sursum, et deorsum, et ante, et retro, et dextrum, et sinistrum. Omne autem quod reflectitur, secundum aliquam istarum contrarietatum necesse est | quod reflectatur. Omne ergo quod reflectitur, movetur contrariis motibus… Relinquitur ergo, quod impossibile sit, id quod reflectitur, moveri uno motu continuo.* Qua quidem ratione, aliisque quas vide apud S. Thomam loc. cit. evertitur opinio **Cartesii** Dioptrices c. 2. §. 2. Borellii Tract. 2. Diss. 2. cap. 5. Aliorumque autumantium, nullam in puncto reflexionis intercedere quietem, saltem plerumque, eo quod interrupto motu mota etiam exigua, nulla extaret caussa, qua incitante vires resumere posset. Verum hanc nos caussam existere dicimus, esseque impulsum a projiciente impressum, ut infra dicemus.

n. 1, p. 492

Regius Phys. l. 1. part. 2. c. 5. aliique **Cartesiani** in eam ivere sententiam. An vero **Cartesius** eam tenuerit, Turrius Phys. Tom. 1. §. 276. seq. Negat ; quodque ait **Cartesius** 2. P. Princ. §. 36. Deum scilicet creasse in materia determinatam quantitatem motus, et quietis, eandemque perpetuo conservare, explicat perinde atque si **Cartesius** intellexisset, Deum initio creationis tribuisse motum determinatis materiæ partibus, alias vero reliquisse ut creaverat, absque ulla efficacia ; idque ait patere, si **Cartesius** ipse attente legatur. A nemine putamus **Cartesium** fuisse lectum attentius, quam a Malebrancio, qui totu est in profundendis **Cartesii** laudibus. Is tamen l. 6. De inquisit. ver. c. 9. sic scribit : *Observandum mihi videtur, nihil Physicæ **Cartesii** magis nocere, quam istud falsum placitum, quieti vim aliquam inesse ; inde enim falsas elicuit motus leges ; inde et collegit, globus ipsius secundi elementi per se duros esse ; unde falsas transmissionis lucis, varietatis colorum et generationis ignis, imperfectasque omnino gravitatis rationes deduxit. Uno verbo, falsa illa opinio, quieti vim inesse aliquam, per totum influit ejus systema.* Auctore igitur Malebrancio, opinio statuens, quieti vim aliquam inesse, atque adeo quietem esse quidpiam positivum, ita est colligata cum Physica **Cartesii**, ut per totum influat ejus systema, exque ea manent falsæ consequutiones, quæ in toto **Cartesiano** systemate inferuntur. Ex qua vel una Malebrancii confessione constat, quo loco habenda sit universa **Cartesii** Physica.

n. 3, p. 494

Robertus Boyleus Dissertationem edidit *de absoluta quiete in corporibus* eamque pluribus argumentis in dubium vocare aggrediens, *sect.* 2. scribit : *Si necessitas aliqua efflagitaret, vel expediret, argumenta mea ordirer, ut quædam contra absolutam Quietem dicerem, pro contraria opinione, argumentando a priori* (*ut loquuntur*) *a constitutione mundi, sive ad Epicureorum sive ad **Cartesianorum** de origine rerum sententiam consideremus.* Invictum sane argumentum a priori, ductum ex systemate Epicuri, qui mundum fortuito atomorum concursu factum potuit ; et ex hypothesi **Cartesii**, qui mundum posuit indefinitum. Pergit ille : *Epicurei enim cum supponent, mundum fortuito atomorum concursu productum, ac cuilibet atomo innatam aliquam ac inseparabilem mobilitatem, vel potius motum aliquem actualem, aut inquietam aliquam propensionem ad illam adscribant : consonum rationi est, quod quamquam in concretionibus ita sibi implicentur, ut exiguo temporis spatio aut modo visibili expedire se ab isto nexu nequeant ; nihilominus tamen indefinenter e vinculis se liberare, atque avolare anuitantur... Ex alia parte secundum doctrinam **Cartesianam*** Materia subtilis... *credi potest transitu suo continue concutere, aut alio quodam modo agitare insensibiles particulas corpus constituentes.* Tota igitur Boylei ratio a piori, qua negat absolutam quietem, nititur systemate Epicuri, et hypothesi **Cartesii**. Jam **Cartesius** ipse Disser. de Methodo §. 1. hypothesim suam loco *fabulæ* habuit. Quis autem, nisi permoleste feret, in scenam revocari Epicurum ad impugnandam absolutam corporum quietem, Epicurum, inquam, illum, qui ut Cicero scribit I. Acad. 6. *abutbatur ad omnia atomorum segno, et licentia ;* qui omnia fortuito atomorum motui adscibebat ; qui eum motum atomorum nullo a principio, sed ex

æterno tempore convenire atomis effutiebat ? Hæccine erit ratio a priori digna Philosopho ? Hoc genus argumenti erit *rationi consonum* ?

[NOTE DEL VOLUME II-2]

n. 1, p. 13

Ita Lucretius ibid **Cartesius** similia scribit de mundi ortu, nisi quod attribuit Deo materiæ creationem, et motus leges, atque communicationem. Vide quæ diximus in Phys. Gen. pag. 97. not. 3. Buddæus de atheis, et superst. c. 6. §. 5. in not. putat, hypothesim **Cartesianam** de mundi formatione ex mechanismi legibus, atheis arridere : nam et Epicurei mechanismum non respuebant. Nos autem etsi de **Cartesii** Religione bene sentiamus, monemus tamen adolescentes, ut ab ejus cæterorumque qui per mechanismum omnia explicari prædicant, sententia quam longissime recedant ; ejusmodi enim sententia, vel ipso Heidano auctore apud Spanemium Epist. *de novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis,* viam ad Epicureismum, et atheismum sternit. Sane Helvetius (qui tamen postea error ejuravit suos) in impio opere *L'Esprit* Disc. 3. c. 9. videtur **Cartesium** sequutus, cum affirmat, motum a Deo fuisse impressum materiæ, indeque elementa fuisse mota : ex iis vero in immenso spatio errantibus, varias combinationes fuisse temere constitutas, donec in eum ordinem, quem videmus, coluerint.

n. 9, p. 43

Fabricius Bibliot. Græc. l. 1. c. 20. hanc de stellis inhabitatis fabulam non modo adscribit Orpheo, Pythagoreis, Anaximandro, Anaximeni, Anaxagore, aliisque veteribus ; sed illis accenset ex junioribus Cusanum, Brunum, Campanellam, **Cartesium**, Keplerum, Galilæum, Wilkinsium, Fluddum, aliosque.

n. 11, p. 45-46

Hæc cum sint, miror valde, Philosophos quosdam recentiores ipsosque Catholicos etiam, sic de mundi unitate disserere, ac si putarent, quæstionem hanc ad adiaphoras amandari posse. Quo in genere illi etiam videntur esse, qui præter hunc nostrum orbem terrestrem, alios orbes habitabiles ponunt.

Cudvvorthus Syst. Intell. c. 5. Sect. 5. §. 23. ad idem probandum inducit verba Christi Domini Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* : et illud Baruch 3. v. 24. sq. *O Israel quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus ! Magnus est, et non habet finem, excelsus, et immensus.* Ita enim Vulgata habet, non ut vertit Cudvvorthus, *magna adeo, ut infinita sit, alta adeo, ut immensa.* Ex quibus testimoniis ille putat inferri, neminem sapientem persuadere sibi facile posse, infinita illa locorum spatia deserta, inculta, et habitatoribus vacua a Deo esse relicta. Eandem sententiam, quod ad Lunæ habitatores pertinet, Genuensi maxime placuisse, jam Tom. 1, pag. 613. not. 1. animadvertimus. At quam præpostere Cudvvorthus Scripturæ verba intellexit, Moshemius ipse ib. observat ; non enim in Joannis verbis sermo est de mundorum pluralitate, sed de mansionibus Beatorum, hoc est, de beatitudinis inæqualitate, qua singuli Beati potiuntur pro meritorum diversitate. S. Augustinus Tract. 68. In Joan. n. 3. *Erit,* inquit, *diversitas præmiorum pro diversitate meritorum* : *hæc erit multitudo mansionum pro disparitate mansorum.* Verba autem Baruch cælestem quoque beatitudinem ostendunt : et si de mundo intelligi deberent, ejus potius unitatem demonstrarent : nam *domus Dei* ponitus in singulari numero, | non in plurali. Quod autem non intelligat Cudvvorthus, qui fieri potuerit, ut spatia illa immensa, deserta, et vacua habitatoribus fuerint relicta ; id si accipiat de spatiis mundanis ad Epicuri, vel Stoicorum, aut Cartsii fictionem, non mirabimur ; sed tam est falsum spatia illa deserta, et habitatoribus vacua dici posse, quam verum est esse mere imaginaria. Si autem intelligat de spatiis quæ sint in mundo jam creato, in iisque præter homines qui sunt in terra, et qui sunt, vel erunt in Cælis, alios habitatores agnoscat, videat, ne forte alios admittat homines præter filios Adæ : nam Christus qui est Salvator omnium hominum, nonnisi pro filiis Adæ venit, et passus fuit. Et Rom. 5. v. 12. Dicitur : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Hinc S. Augustinus l. 16. de Civ. c. 8. *Quisquis,* ait, *uspiam nascitur homo... ex illo uno protoplasto originem ducere, nullus fidelium dubitaver.* Halleyus in Actis Lispien. an. 1681. conjiciebat, Planetas habitari, non ab hominibus quidem, sed ab aliis animantibus ratione utentibus, quæ tamen et corpore, et sensibus qui in homine vigent, sint instructa. Verum si animantia illa et corpore, et sensibus, et ratione pollerent, non essent essentialiter diversa ab hominibus, etiamsi forent nobiliora ; quare alii darentur homines qui ab Adamo non ducerent originem.

n. 6, p. 48

Est hæc **Cartesii** ratio loc. cit. §. 22. et consequitur ex alia ejus sententia, quod nimirum essentia corporis consistat in extensione, et spatium sit verum corpus, quia est extensum.

n. 5, p. 78

Id erat consequens ex principio Leibnitiano *de mundo optimo* : nam mundus extensione infinitus, si dari posset, ut Leibnitius possibilem ponit, melior esset mundo extensione finito. In hac autem re pejor est **Cartesii**, quam Leibnitii lapsus ; Leibnitius enim saltem concedit, posse a Deo effici mundum extensione finitum ; id vero **Cartesius** negat : nam in Epist. 69. 1. P. ad Henricum Morum sic scribit : *Repugnat conceptui meo, sive, quod idem est, puto implicare contradictionem, ut mundus sit finitus, quod idem est, puto implicare contradictionem, ut mundus sit finitus, vel terminatus, quia non possum concipere spatium ultra quoslibet mundi fines ; tale autem spatium apud me est verum corpus ; nec moror, quod ab aliis imaginarium vocetur, et idea mundus finitus existimetur ; novi enim ex quibus præjudiciis error iste profectus sit.* Si ergo **Cartesius** putavit, implicare contradictionem, ut mundus sit finitus, putavit etiam, mundum finitum non posse a Deo condi : nam quod contradictionem implicat, fieri a Deo non potest. Si autem non potuit a Deo condi mundus finitus ; quid erit reliquum, nisi ut mundus sit infinitus ? Vocat quidem **Cartesius** mundum non infinitum, sed *indefinitum* ; at revera putavit, mundum esse infinitum : nam *spatium ultra quoslibet mundi fines* apud ipsum *est verum corpus.* Igitur auctore **Cartesio**, dato quolibet mundi fine est aliud, et aliud verum corpus in infinitum, quia est aliud, et aliud spatium in infinitum. Utique potuisset ille appellare mundum *indefinitum,* si posuisset, mundum revera esse finitum, et terminatum ; dixisset vero ignorari ab se quousque extendantur fines ejus, et termini : hæc est enim *indefiniti* notio. Sic dicimus indefinitum esse numerum Stellarum, non quod nullum habeat terminum, sed quia certus earum numerus nobis est incompertus. Sed cum aperte **Cartesius** affirmaverit, *implicare contradictionem, ut mundus sit finitus vel terminatus,* palam est ipsum putasse revera mundum non modo indefinitum, sed infinitum esse. Quanto nunc verius dicere nos possumus : *Novimus ex quibus præjudiciis error iste profectus sit* ; nimirum ex constituta essentia corporis in trina dimensione, exque spatiis imaginariis perinde habitis ac si vera essent corpora.

n. 1, p. 80-81

S. Thom. 1. de Cælo lect. 10. ut demonstret, corpus infinitum non posse circulariter moveri : „ Supponatur, *inquit,* quod a centro corporis infiniti, quod est A (*fig*. 1.) trahatur quædam linea, scilicet AGE, quæ sit infinita ad aliam partem, scilicet ex parte E, et intelligatur ista linea circumvolvi secundum motum totius corporis, et quod secundum punctum G describat quendam circulum sub motu. Imaginetur etiam in spatio imaginato, in quo revolvitur corpus infinitum, quædam linea stans immobilis, quæ non transeat per centrum, sed sit infinita ex utraque parte, et sit linea BB. Si ergo, sicut dictum est, linea quæ est AGE, sua incessione describat circulum AGB, idest, cujus semidiameter sit AG, continget, quod linea AGE circuendo circulum præditctum, secabit totam lineam BB in tempore finito... Sequitur ergo, quod sit aliquod principium temporis, in quo linea AGE incœperit incidere lineam BB. Hoc autem est impossibile, quia cum unam partem incidat ante aliam, si sit dare principium temporis, in quo incipit incidere, esset dare principium aliquod in linea infinita, quod est contra rationem infiniti. Sic ergo oportet, quod corpus infinitum non contingit revolvi circulariter. Unde si mundus sit infinitus, sequitur quod non moveatur circulariter,,.

Idipsum hac alia demonstratione conficit S. Doctor loc. cit.lect. 11. Supponatur, quod corporis infiniti circulariter moti centrum sit Q (*fig.* 2.) Ducatur autem per hoc centrum linea ad utramque partem infinita, quæ sit linea AB. Ducatur autem alia linea præter centrum cadens ad rectos angulos super lineam BA in puncto scilicet E. Sit etiam linea infinita ex utraque parte, et hæ duæ lineæ sint stantes, quasi imaginatæ in spatio, in quo corpus infinitum movetur circulariter. Sit etiam alia linea egrediens a centro, quæ sit linea DG infinita ex parte D : nam ex parte G oportet eam esse finitam Hæc autem linea moveatur per motum corporis, utpote in eo descripta. Quia igitur linea E est infinita, nunquam absolvetur, idest, separabitur ab ea, quia non potest eam pertransire, cum sit infinita, sed semper se habebit, quemadmodum GE, idest semper continget, vel secabit lineam E ; recedens enim ab hoc situ incidet lineam E in puncto Z, et sic semper in alio, et alio puncto secabit illam ; nunquam tamen totaliter poterit ab ea separari. Impossibile est autem, quod motus circularis compleatur, nisi linea GD dimittat lineam E ; quia oportebit, antequam compleatur motus circularis, quod linea GD pertranseat partem circuli, quæ est in opposito lineæ. Sic patet ergo, quod linea infinita nullo modo potest circuire circulum, ita scilicet quod totus motus circularis compleatur : et ita sequitur, quod corpus infinitum non possit circulariter moveri,,. Hæ autem demonstrationes ostendunt, quam sibi contrarius fuerit **Cartesius**, cum posuit, mundum | nullos extensionis suæ fines habere, quia ultra quoslibet mundi fines est spatium, quod,

ipso auctore, est verum corpus ; et nihilominus docuit, materiam omnem, adeoque et omnia spatia, si vera corpora sunt, fuisse a Deo divisa in partes quamproxime æquales, easque omnes fuisse motas circa propria centra. Vide Phys. Gen. §. 143. Quomodo autem id fieri potuit, cum sit demonstratum, corpus infinitum, si daretur, adeosque et partes infinitas ex quibus constaret, non posse circulariter moveri ? Nec minus sibi contrarius fuit Leibnitius : nam postquam posuit mundum esse extensione infinitum, supponit in *conclusione Thæoriæ motus concreti* globulorum mundanorum gyrationem circa proprium axem. Qui autem axis, et quæ gyratio esse potest in mundo infinito ?

n. 4, p. 82

Nec satis est quod scribit **Cartesius** Epist. 69. cit. *Sed negare tamen non audeo, illius forsan fines aliquos esse Deo notos.* Nam 1. *to forsan* indicat, ipsum saltem dubitasse de mundi finitate. 2. qua ratione fines illi possent esse Deo noti, si contradictionem implicat, ut mundus ullos habeat fines ? Quicunque igitur fines essent Deo noti, ultra illos, alii, et alii, essent fines, neque proinde ulli revera fines essent. 3. Quomodo possunt esse noti fines ejus, qui nullos habet, nec potest habere fines ? Videtur **Cartesius** addidisse relata verba, ut erroris notam effugeret.

n. 2, p. 86

S. Thomas lect. Cit. „Si corpus, *inquit,* cæli sit vere rectilineum, puta cubicum, vel pyramidale, sequeretur, quod extra cælum sit aliquis locus, et aliquod corpus, et aliquod vacuum : nam corpus rectilineum, si circulariter vertatur, non permanebit in eodem loco secundum omnes partes suas ; imo sequeretur, quod ubi primo erat aliqua pars ejus, nunc nulla pars est : est quod iterum ubi nunc non est aliqua pars ejus, iterum erit aliqua pars ejus ; et hoc propter permutationem angulorum. Cujuslibet enim corporis rectilineæ figuræ oportet esse aliquos angulos corporales præminentes ceteris partibus, quia linea ducta a medio talis corporis, est major linea ducta ad aliquod punctum designatum in superficie plana ejus : et si quando secundum versionem corporis linea terminata ad angulum , pervenerit ad locum, in quo erat linea ducta ad aliud punctum quod est inter angulos, accipet plus de loco, et ita erit corpus, ubi prius non erat ; et subsequens linea quæ pertinget ad locum anguli, non poterit occupare totum locum qui occupabatur ab angulo ; et ideo ubi nunc non est corpus, prius erat. Si ergo extra illum locum, in quo nunc est cælum, potest esse aliquod corpus, id est, aliqua pars ejusdem cæli, per consequens est ibi locus, qui est corporis receptaculum, et consequenter est ibi vacuum, quod nihil est aliud, quam locus non plenus corpore, cujus est capax„. Quæ quidem ratio omnino destruit systema **Cartesii** negantis vacuum, et constituentis partes materiæ initio divisas in varias figuras, et motas circa proprium centrum. Vide quæ diximus in Phys. Gen. pag. 94. not. 4.

n. 2, p. 93-94

Diximus *quodammodo* : nam Deus alia a se principaliter fecit propter semelipsum, et ut ostenderet suam potentiam, sapientiam, et bonitatem. Quare aerem verberant cum **Cartesius**, qui 3. p. Princ. §. 2. cavendum monet, *ne nimis superbe de nobis sentiamus... si res omnes proptr nos solos a Deos creatas esse fingeremus.* (Sane non nimis superbe de seipso David sentiebat, dum ex ore Dei Psal. 8. v. 7. de homine ajebat : *Minuisti cum paulo minus ab Angelis... et constituisti cum super opera manuum tuarum*). Tum Sturmius Phys. elect. sect. 1. c. 5. Hypot. 2. n. 6. sq. Ubi **Cartesium** putasse ait, Scholasticos docere, *omnia in mundo, tantum, vel saltem primario propter hominem producta esse*. Nam S. Thomas accuratissime scribens, neque *propter nos solos,* neque *tantum*, neque *primario* ; sed *quodammodo*, ait, corporalia esse propter hominem, non quidem ut principaliter intentum, sed ut omnia sint ei utilia. *Natura humana* (inquit S. D. in 2. d. 1. q. 2. a. 3.) *non est intenta a Deo, quasi movens voluntatem ejus sed sicut ad cujus utilitatem est ordinatus effectus ejus. Ipse enim duplicem ordinem in universo instituit, principalem scilicet, et secundarium. Principalis est, secundum quod res ordinantur ad ipsum, et secundarius est secundum quod una juvat aliam in perveniendo ad similitudinem divinam.* Quod autem ipse Sturmius ib. sect. 2. a. 5. c. 6. Epic. 3. aribtratur esse plebejum præjudicium credere, etiam cælestia, et universi mundi corpora destinata esse propter hominem ; propterea quod postremis hisce temporibus deprehensa sint nova sidera ope telescopiorum, et nova adhuc deprehendi possint, si perfectiora telescopia adhibeantur ; nos inter alia ejus præjudicia (ut parce dicamus) recensendum existimamus. Neque opus habemus ad siderum influxus confugere. Sed petimus, an ille putaverit, neminem omnino fuisse, qui visis novis illis sideribus, eorum laudaverit Creatorem ? An nemo futurus sit, qui in easdem effundatur laudes, si nova adhuc sidera deprehendantur ? Quod si nunquam deprehendi contigerit omnia omnino sidera ; nonne

Beati in cælo in iis inspiciendis Deum laudant ? nonne ipsi quoque Deum laudamus in sideribus, quorum nescimus numerum, cum dicimus : *Laudate cum omnes stellæ* ? Cur ergo negabimus, stellas universas utilitati nostræ servire ? Videant illi, quod in Scholasticos regerunt, fuisse olim Christianis objectum 2 Celso apud Origenem l. 4. quasi dicerent : *propter nos omnia, et ut nobis serviant ordinata.* Adeant vero S. Justinum M. Apol. 2. n. 7. ubi nihil hæsitans ait : *Deus propter Christianorum semen, quod in caussa esse novit, cur rerum natura conservetur, tenet se, ne confusionem inducat, et dissolutionem totius mundi.* Et Hermam l. 1. c. 2. n. 4. dicentem : *Ecclesia omnium prima creata est, ideo anus, et propter illam mundum factus est.* Hos colimus Magistros, non **Cartesium**, non Sturmium, non reliquos, qui omnia | pene susdeque vertere molliti sunt. Nam quod **Cartesius** ait loc. cit. §. 3. *in Ethicis esse pium dicere, omnia a Deo propter nos facta esse, ut tanto majus ad agendas ei gratias impellamur, ejusque amore incendamur,* non minus est absurdum ; qui enim fieri potest, ut falsitas ad veram pietatem impellat, et voluntas ad referendas gratias pro re falsa impellatur, aut accendatur Dei amore pro beneficio, quod mens non noverit a Deo acceptum, imo noverit nullo modo accepisse ?

n. 1, p. 99

Vide S. Thom Suppl. 3. p. q. 74. a. 3. Qua quidem ratione profligatæ manent universæ Philosophorum sententiæ, quæ per caussas duntaxat naturales explicare audent futuram illam conflagrationem. Ac 1. si ea penderet ex naturali concursu siderum in signu Cancri, Astronomi concursum illum prævidere possent. 2. Idem dicendum de concursu radiorum corporum cælestium ; is enim posset naturaliter innotescere considerantibus motus astrorum. 3. Eadem est ratio de descensu ignis elementaris, et de meteoris igneis in terram ruentibus. Cui rationi accedit, quod ignis conflagrationis non solum descendet, sed etiam ascendet ad eam altitudinem, ad quam aquæ diluvii pervenerunt. 4. Quod **Cartesiani** dicunt de igne erupturo e terræ visceribus, eandem patitur difficultatem ; cui addenda alia quoque ratio est, nimirum, quia si ignis ille erumperet, terramque diffringeret, et subverteret, aquæ maris, et fluviorum in cavitates irrumpentes, ignem extinguerent ; major enim esset aquarum copia, quam ignis erumpentis. 5. Qui solis ad terram appropinquationi conflagrationem attribuunt ; jam caussam assignant supra naturæ vires ; siquidem planetarum cursus sunt naturales, nec unquam naturaliter a periodica ipsis constituta via planetæ recedunt, nisi per miraculum, quod est supra naturam. 6. Tandem quod de cometa dicitur, non modo eadem difficultate laborat, sed est omnino fictitium. Agamus tantisper ex Recentiorum hypothesibus. Wistonus *in nova Theoria telluris* contendit, diluvium universale contigisse ex cometa, qui descensu versus solem, ita appropinquavit telluri, ut eam in sua atmosphæra, et cauda involverit diu, et magnam suorum vaporum copiam in telluris superficie reliquerit. Ex qua hypothesi sequitur, cometas etiam perihelios, si ad telluris globum accedant, posse tantam vaporum copiam in ejus superficie deponere, ut diluvium aquarum inducatur. Qua igitur ratione fiet, quod docet Nevvtonus, Cometam nempe an. 1668. die 4 Decembris, cum erat in perielio, tantum caloris concepisse, ut 2000. vicibus calidior esset ferro ignito, poutisseque calorem retinere annis 50000 ? Si autem Cometa, licet per solis viciniam transierit, et telluri appropinquaverit, nonnisi diluvii caussa extitit ; quomodo rediens ex solis vicinia, et telluri appropinquans, conflagrationem caussabit ? Eritne iste alterius generis cometa ? Nugæ.

n. 3, p. 296-297

Ejusmodi specula concava metallica elaborarunt Maginus, et Septalius ; quorum tamen vis ustoria non ita fuit efficax, quemadmodum vis speculi, cujus meminerunt Acta philosophica Anglicana ad an. 1665. elaborati a *Villeto*. Inter hujus Villetani speculi effectus recensetur, quod lignum viride ignem concipiat in momento. In Actis autem Lipsiensibus ad an. 1687. describitur speculum ustorium *Tschrinhanseni* ; cujus quidem speculi tanta dicitur esse vis ustoria, ut non solum lignum in momento flammam concipiat, et aqua intra cretæ vasculum statim effervescat, ita ut ova injecta, sint edulia ; sed etiam cuprum, et argentum foco admota colliquescant intra 5. vel 6. Minuta. Idem *Tschirhausenus* in iisdem Actis Lipsiensibus ad an. 1691. describit singulares effectus vitri caustici bipedalis virtute superantis omnia specula ustoria ; additque, in media etiam hyeme eandem esse vim talis vitri caustici. In Monum. Acad. Scient. an. 1747. extat Buffoni Memoria sub hoc titulo : *Invention des Miroirs pour bruler à une grande distance* ; quæ quidem Memoria cum nonnullis additionibus extat etiam Tom. 2. Supplementi ad Hist. Nat. ejusdem Buffoni, sub titulo : *Introduction à l'Histoire des mineraux*. Sed jam longe ante elaborata fuerant ejusmodi specula ustoria ab Archimede, eaque descripta sunt a Tzetzero Hist. Chilias. III. et referuntur ab Anthemio Tralliano, Luciano, Galeno, Dione, aliisque. Scimus, Keplerum, Naudeum, et **Cartesium** loco fabulæ habuisse quod refertur de Archimedis speculis, quibus classis Romana combusta, et in cinerem redacta fuit. Verum illos confutat Dutensius *Origene des Découver. etc.* Tom. 2. c. 8. ubi etiam Zonaram laudat narrantem in Annal. Tom. 2. p. 44. Anastasium |

Imperatorem Vitaliani classem debellasse ex machina quadam a Proclo factam instar speculorum Archimedis, qua naves hostium fuerunt combustæ. VVolfius etiam Catopt. §. 217. videtur iis adhærere, qui inter commenta referunt hæc quæ de speculis Archimedis, et Procli narrantur ; *cum*, inquit, *Archimedeum ad distantiam triginta passuum vim suam ustoriam extendere debuerit ; et latitudo foci per quam exigua existat.* Sed ut hæc ratio probaret, deberet constare de diametro Archimedei speculi ; itemque unum duntaxat fuisse speculum, et non potius plures agentes ex reflexione radiorum solarium in eundem locum ; vel speculum non fuisse parabolicum. Buffonus loc. cit. fatetur, ab se, cum suum elaboraret speculum, fuisse ignorata, quæ Veteres scripserant de speculis Archimedeis. An id sit ferendum in Scriptore Historiæ naturalis alii judicent.

n. 3, p. 298

Sturmius Phys. Eclect. pag. 844. Hisce rationibus satisfacere difficillimum putans, si Sol ponatur esse velut ignis elementaris urens, et destructivus, subdit : *Non poterit tamen negari quod sit ignis lucidus, fovens, animans, ex materia subtilissima pure et unice, vel paucissimis staltem admixtis portionibus heterogeneis conflatus* ; nimirum ad mentem **Cartesii** sidera componentis ex particulis primi elementi. Si autem ita res habet, 1. Sol non est substantiæ igneæ elemntaris. 2. Si non est ignis urens, sed lucens, explicandum restat Sturmio, quomodo radii qui vim urendi non habent, urant, et comburant collecti in speculo ustorio ? 3. Si *lumen Solis magnum per sui duplicationem, et multo magis per radiorum innumerabilium collectionem, in stupenda quoque incendia converti potest ;* eritne cur reprehendamur, cum dicimus, Solem calefacere per motum, et lucem, quamquam substantia ejus non sit ignea ?

n. 7, p. 311-312

De solarium macularum figuris uno, eodemque tempore a Galilæo in Italia, et a Scheinero in Germania visis adeatur *fig.* 52. in | qua A repræsentat maculam observatam a Galilæo die 5. Aprilis 1612. B maculam visam die 6 ejusdem mensis, C maculam visam die 7. mensis ejusdem. *Figuris* autem 53. 54. 55. exhibentur maculæ, prout fuerunt observatæ a Scheinero iisdem diebus. Hisce figuris descriptis, quas diligenter insculpi fecimus ex cit. Scheineri Epist. 5. edit. Augustæ Vindelicorum an. 1612. Scheinerus ipse ibidem sic habet : *Galilæus Galilæi observavit 5. Aprilis maculas hoc schemate A* : *at vero 6. Aprilis isto, B* : *tandem die 7. hoc, C* : *Ego vero hisce tribus diebus Solem inveni talem, estque vera et magnitudinum, et figurarum tam ad se, quem ad Solem proportio. Ubi patet, Galilæum in principali figuratione, omnium ad se maculatum conformatione a me nequaquam dissidere* (an ita sit, schemata putefacient, si vel simplici inspiciantur intuitu) *sed solum in singularum apta præcisione nonnihil a me abire. Quod fieri potuit vel e luminis vehementia, vel tubi inhabilitate, aut medii interjectu, vel tandem oculorum agritudine.* Audivimus not. 3. pag. præc. Galilæum objicere Scheinero imperfectionem tubi, et oculorum. Nunc autem Scheinerus inhabilitatem tubi, et ægritudinem oculorum Galilæo objicit. Si autem tubi, et oculi Scheineri ita fuerunt imperfecti, Galilæo auctore ; quænam erat ratio, quare Ricciolus l. 3. Almag. In fine diceret, Scheinerum *desperatione meliorum observationum, et alios, et seipsum, et Solem vicisse* ? Non ita **Cartesius**, qui 3. p. Princ. n. 35. dubitat de veritate observationum Scheineri : *Si veræ,* inquit, *sint observationes Scheineri*. Et quamvis statim addat : *post cujus diligentiam, nihil circa istarum macularum phænomena desiderari posse videtur* ; nihilominus desideraret fortasse aliquis cum Galilæo perfectiora telescopia, acutioresque oculos : nam si tubi, oculique Scheineriani imperfectione laborasse dicantur, observationes ejus circa maculas solares pene universæ nutabunt.

n. 2, p. 328

Hunc lunarem librationis motum Mairanus in disser. de motu diurno telluris circa proprium axem, quæ extat in Monum. Paris. an. 1719. explicat ponendo, hemisphærium inferius Lunæ esse gravius hemisphærio superiori, Lunam vero deferri in fluido quodam. Et quoniam hujus fluidi velocitates sunt veritabiles, hinc infert, Lunam pati oscillationes quasdam. Vortices **Cartesianos** Mairanus adhibuerat ; attractionem vero loco vorticum subrogavit Daniel Bernoullius in disser. da fluxu, et refluxu maris. Verum hæ explicandi rationes sunt ad arbitrium confictæ, nec ullo satis firmo nituntur fundamento. Nec minus conficta est ratio, qua Nevvtonus l. 3. Princ. prop. 17. probat, librationem Lunæ oriri ex motu ejus diurno in orbita elliptica, in cujus umbilico sit terra. Hæ siquidem suppositiones sunt, quæ probari deberent ; cum tamen hactenus nulla concludente ratione sint probatæ. Melius ergo Lunæ librationem, si quæ sit, explicare quis poterit per Lunæ declinationem ab

Ecliptica. Librationes lunares tam in longitudinem, quam in latitudinem exposuit Cassinis in Elem. Astron. docuitque methodum determinandi ad quodlibet datum tempus apparentem situm lunarium macularum.

n. 4, p. 347-348
Calmetus in cit. Disser. & in Com. in c. 27. Matth. v. 45. prodigium agnoscit ; subdit vero : *Fortasse in Solis vortice* (jampridem | a Physica exularunt vortices **Cartesiani**) *tunc excrevere crustæ quædam ; et corpora opaca, qualia interdum in eo conspiciuntur, quæ totius solaris rotæ conspectum Judææ finitimisque regionibus abstulerint.* Si in ipso Solis vortice crustæ illæ excreverunt, quomodo Judææ, finitimisque regionibus, et non toti hemisphærio terrestri Solis conspectum abstulerunt ? nam crustæ illæ perinde ac maculæ, nullam subire debuissent parallaxim diversam a solari Si autem crustæ illæ, et corpora opaca similia fuerunt illis, quæ interdum in Sole conspiciuntur, ubinam erit prodigium ? Quid vero Calmetus Xenophani responderet, qui referente Plutarcho l. 2. de Plac. c. 24. *narrationem adjecit de quodam Solis defectu, qui totum duraverit mensem ?* Huncne prodigii loco habebit ? nam per maculas, et crustas ipsum explicant Recentiores.

n. 1, p. 365
Nevvtonus, inquit Delalandius Abrégé d'Astr. §. 883. *cometis usus fuit ad destruendum systema* ***Cartesii****, et hypothesim vorticum.*

n. 2. p. 365
Petitus loc. cit. hypothesim **Cartesianam** prolixe refutat. Ipse Bernoullius in cit. *Conamine* : „Quod, *inquit,* in unoquoque horum vorticum plurimæ mutationes, et alterationes contingant, facile damus **Cartesio** ; ipsum vero vorticem, tam immensum Omnipotentis Dei opus posse funditus destrui, et dissipari, est quod omnem fidem superat. Sapientissimum subvertere in more positum habet, reste terra, non ipsum domicilium subvertere in more positum habet, teste terra, quæ firmiter fundata est super bases suas, ut maneat in seculum seculi… Si insolens illa sententia locum haberet, meruendum, ne et vortex noster, quo Sol, Luna, terra ipsa, totumque planetarum systema clauditur, idem suo tempore subiret fatum… sed de inaudita hac, et periculosa metamorphosi, qua Sol noster in cometam transformaretur, nobisque fixa alia Solis vicem obiret, satis est, ut taceam, ne multis ad vertiginem pronis terror forte panicus incutiatur„.

n. 2, p. 368
Cometarum lumen, inquit **Cartesius** 3. P. Princ. n. 132. *cum sit multo debilius, quam fixarum, non satis habet virium ad oculos nostros movendos, nisi sub angulo satis magno videatur, et ideo ratione distantiæ non apparent, cum a cælo nostro sunt nimis remoti.*

n. 3, p. 376
Scimus **Cartesium** 3. P. Princ. n. 134. sq. Novum quoddam genus refractionis excogitasse, quod Dioptrici ignorant ; sed illud ex principiis ab ipso **Cartesio** constitutis nonnisi coacte deducitur. Videri potest Petitus Diss. cit. et Vossius de nat. Lucis, et Conte Epist. 13. **Cartes.** par. 2.

n. 4, p. 376-377
Hisce rationibus utitur adversus **Cartesium** Nevvtonus l. 3. Princ. prop. 41. Addit porro, *lucem fixarum plus centum vicibus augeri posse mediantibus telescopiis.* Id quidem libenter admittimus. At vero cum lux ex ejusdem Nevvtoni principiis, sit corpus, oportebit, ut fixarum magnitudo visa mediantibus telescopiis, augeatur. Hæc autem doctrina conferatur cum iis quæ idem Nevvtonus scribit Opt. l. 1. par. 1. | prop. 7. *Astronomi quidam per conspicilla tubulata supra vicenos pedes ; et infra sexagenos longa observarunt diametros stellarum fixarum esse circiter 5" aut 6" aut summum 8" aut 10". Verum si vitrum ocularium, facis lychnive fumo leniter infuscatum sit, quo lumen stellæ oscuretur, jam languidum illud lumen quod erat in circuitu stellæ evanescet ; stellaque ipsa (si vitrum satis sit fumo infuscatum) ad puncti mathematici similitudinem propius accedet. Quam porro eandem ob caussam, enorme illud lumen, quod est in circumferentia cujusque puncti lucidi, minus sentiri debet in brevioribus telescopiis, quam in longioribus ;*

quia breviores minus luminis ab oculos transmittunt. Satagant Nevvtoniani hæc magistri sui dicta componere eum luce fixarum plus centum vicibus aucta ope telescopiorum.

n. 1, p. 378

Fortasse Nevvtoniani, qui ut supra diximus not. 1. pag. 371. planetas revolvi docent in medio quantumvis denso, nec tamen resistente, novam quoque doctrinam invehent adversus Dioptricæ principia, posse scilicet radios transire a medio rariori in densius, quin ulla sit refractio. Et quemadmodum **Cartesius** 3. p. Princ. n. 134. *novum quoddam genus refractionis* agnovit, *de quo in Dioptrica non est actum, quia in corporibus terrestribus non notatur* ; ita Nevvtoniani, ut caudas cometarum ex nubibus, et vaporibus conflent, nova Dioptricæ principia statuent, quæ corporibus cælestibus aptentur, cum corporibus terrestribus aptari non possint. Id autem non philosophari, sed ariolari videretur esse.

n. 3, p. 398

Scimus, **Cartesium** 3. p. Princ. n. 19 ad evadendam censuram de admissa terræ mobilitate, scripsisse, *se in hoc tantum ab utroque* (Tychone & Copernico) *dissentire, quod omnem motum verius quam Tycho, et curiosus quam Copernicus terræ detraxerit,* nimirum quia ex posita notione motus localis, quod sit tantum *translatio unius corporis ex vicinia eorum corporum, quæ ipsum immediate contingunt, et tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum ;* sequi ait ibid. n. 27. *nullum in terra, nec etiam in aliis planetis motum proprie dictum reperiri ; quia non transfer ?atur ex vicinia partium cæli, quæ illos immediate contingunt, quatenus istæ partes cæli, ut immotæ considerantur. Ad hoc enim deberent ab omnibus simul sejungi, quod non sit.* Verum hæc ad deludendum verba sunt, falsamque opinionem sub veritatis specie obvelant : | nam præterquamquod illa definitio motus localis falsa est, et ineptissima, ut ostendimus Tom. 2. pag. 365. ipse **Cartesius** ibid. n. 31. Expressis verbis ait : *Mars duobus annis, Terra cum Luna uno anno, Venus octo mensibus, et Mercurius tribus circuitus suos, materia cæli eos deferente, absolvunt.* Quis etiam dicet, pisces non moveri localiter in mari, aves in aere, propterea quod partes aquæ, et aeris habent semper alias sibi continguas, a quarum vicinia non possunt dici trasferri ? Quomodo autem **Cartesius** omnem motum localem terræ detrahit, quam assidua vertigine circa proprium axem gyrare dicit motu diurno ? quam motu annuo circulum absolvere dicit circa Solem ? quam in modum vorticis continue agitari contendit, sicut alios planetas ?

n. 4, p. 401

Gregorius l. 1. Astr. sect. 10. prop. 76. n. 5. „Apologiam, *inquit,* quam pro planetarum excentricitate varia, varia etiam orbitarum ad se invicem inclinatione, varioque apheliorum situ affert **Cartesius** n. 34. P. 3. Princ. nempe hæc : *sed ut in omnibus aliis rebus naturalibus labentibus seculis continuo mutari,* plane ostendere, illum in calculo Astronomico prorsus peregrinum„. Audivimus Brenoullium adserentem **Cartesii** hypothesim de formatione cometarum in amentiam ducere. Modo judicium excipimus Gregorii putantis, **Cartesium** vix aut ne vix quidem a limine salutasse regulas calculi Astronomici. Querebatur Leibnitius Epist. 3. ad Bourguetum Tom. 2. Opp. pag. 330. **Cartesium** male fuisse habitum ab Auctore Præfationis secundæ editionis Nevvtoni ; mirabaturque id a Nevvtono fuisse permissum. Videte, qualibus officiis se invicem prosequantur Philosophi juniores.

n. 1, p. 403

Gyratio cæli (inquit S. Thomas lect. cit.) *simul circumgyrat… superiorem partem aeris, non autem hanc inferiorem aeris partem, et ita illa gyratio non attingit usque ad nos. Videmus enim quod gravia ferantur ad medium et in hoc aere propinque gyrationi*. Scimus hæc non placere **Cartesianis**, Gassendoque, qui subscribunt hypothesi de motu telluris. Sed cum in hac etiam hypothesi gravia, quæ videant ipsi, quomodo motum vel circularem vel ellipticum planetarum cum vorticibus, sive cum æthere in gyrum acto conciliare possint. Nam si ex analogia ratiocinandum est, ex corporibus motis in vortice telluris, describentibusque parabolam, consequetur, planetas etiam motos in vortice Solis, non circulum, non ellipsim, sed parabolam debere describere. Quod si dicatur, universæ destruentur leges Astronomicæ.

[NOTE DEL VOLUME III]

n. 2, p. 8
Plura sunt ejusmodi prima principia. Auctor *Artis cogitandi* 4. p. c. 7. Undecim enumerat ; sed eorum nonnulla, eum probationem egeant, et æquivocatione laborent, non merentur inter axiomata recenseri. Purchotius quoque 2. p. Metaph. cap. 4. octo axiomata numerat universalia, et ontologica, atque inter ea primo loco collocat, quod est de idea clara, et distincta, nimirum ad mentem **Cartesii**, cui erat devinctus. Sed quam id longe sit a ratione axiomatis, constat ex argumentis, quæ ibid. sibi Purchotius objicit ; axiomata enim debent esse omnino indubia. Noster Moniglia *de mente humanæ* par. 2. sect. 2. Novemdecim axiomata enumerat. Sed, ut quod est, fateamur, eorum pleraque et ipsa egent probatione, ut scholia, quæ ibid. sect. 5. ille addit, ostendunt. Is qui *Elementa Matheseos ad mixtam Recentiorum Philosophiam necessaria* edidit an. 1753 arbitratur, inter axiomata, sive inter propositiones indemonstrabiles recenseri debere duntaxat propositiones perfecte identicas, velut, *idem cum semet est idem* : *impossibile est idem simul esse, et non esse,* etc. Et idcico negligit Mathematicorum morem præmittendi axiomata. Sed is notionem primorum principiorum videtur ignorasse. Nos autem cum S. Thoma loc. cit. dicimus, axiomata, sive prima principia esse duntaxat eas propositiones, quæ sunt per se notæ omnibus ; quarum proinde prædicatum ponitur in definitione subjectim vel est *idem subjecto* ; idque patet ex ipsa perceptione terminorum. Hujus generis sunt, *Non potest idem simul esse, et non esse Quodlibet est, vel non est. Omne totum est majus sua parte. Qua sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Infinitum a finito non potest comprehendi. Nemo dat quod non habet. Propter quod unumquodque est tale, et illud magis. Nihil non potest esse alicujus caussa. Operari sequitur esse. Non potest effectus esse perfectior sua caussa. Nemo potest esse sui ipsius caussa.* Et alia his similia, ea præsertim quæ a Geometris statuuntur, et *dignitates* appellantur. Quæ cum pendeant a notionibus Ontologicis, ut ex dicendis constabit, sequitur, ad Ontologiam ea principia pertinere.

n. 7, p. 10
In Epist. ad Interpretem Gallicum, quæ loco Præfat. Præmittitur ejus Principiis Philos. paulo insolentius se jactat, atque effert **Cartesius**, dum de universis sapientibus ; qui ipsum præcesserunt, ait, illos ob neglecta ejus principia, quorum primum est illud, *ego cogito, ergo sum*, non potuisse vel unum passum promovere in sapientiæ investigatione ; quasi ipse cum fabula suorum vorticum, et triplicis conficti elementi, veritatem e puteo extraxerit. Sed jampridem animadvertimus, ne has quidem fabulas fuisse primum a **Cartesio** inventas. Vid. Tom. 2. pag. 331. not. 2.

n. 3, p. 13
Tam efficax hæc ratio visa est ipsis **Cartesianis**, ut Magistrum suum hac in parte reliquerint. Adeatur Purchotius Metaph. par. 1. c. 4.

n. 1, p. 14
Diximus, *si de vera evidentia intelligatur* : nam multoties ea quorum habemus claram, et distinctam ideam, in seipsis non sunt talia, sicuti in idea apparent. Solis enim idea, quam per sensum accipimus, clara est, et distincta, eaque exhibet Solem figuræ bipedalis ; nihilominus, si rationem consulamus, evidens est, Solem pluribus vicibus magnitudinem telluris superare. Propositio igitur illa **Cartesianorum** ex hac etiam parte deficit a ratione primi principii demonstrationis, quod debet esse certissimum, atque firmissimum.

n. 3, p. 17
Videre, quam vetus sit effatum **Cartesianum**.

n. 6, p. 22
In respons. ad sextas objectiones, n. 6. Legatur etiam ib. n. 8 et Epist. 90. par. 1. et 6. Par. 2. Bælius art. *Spinoza* hanc **Cartesii** sententiam vocat *Metaphysicæ interitum.* Et gravius vapular **Cartesius** a Cudvvortho in syst. intell. c. 5 §. 21. et a Buddeo de Atheist. c. 1. §. 25 et a Clarkio *L'exist. De Dieu* c. 11. qui illum proditæ divinæ existentiæ ob hanc sententiam accusant.

n. 5, p. 24
Ab aliis demonstrationibus supersedemus : cum, ut advertit Moshemius in not. *d* ad § 21. c. 5. Cudvvorthi adversum **Cartesii** *ex eorum sit genere, quorum statim apparet falsitas, simulatque verbis perspicuis, et claris explicantur.*

n. 2, p. 26
Ex hoc principio videtur motus **Cartesius** I. p. Princ. n. 8. ad constituendam naturam hominis in sola cogitatione, quasi corpus ad hominis naturam nullo modo pertineat. Sed quod mireris est, **Cartesiani** ipsi essentiam corporis reponunt in trina dimensione, quæ certe non est una simplex proprietas.

n. 7, p. 106
In object. quintis, quæ extant in Append. Medit. **Cartesii**.

n. 5, p. 159-160
Par. I. c. 2.,, Ceux qui admettent une cause extérieure à la matiere tombent dans deux inconveniens ; l'un, de croire à la création ; l'autre, d'admettre l'action d'un être immatériel sur la matiere. La matiere a tojours existé, et elle a du se mouvoir | de toute éternité, puisque le mouvement découle de ses propriétés primitives, telles que son étendue, sa pesanteur, son impénétrabilité, sa figure, etc... Pour former l'univers, **Descartes** ne demandoit que de la matiere et du mouvement... *Qui caussam materiæ exteriorem admittunt, in duo incidunt absurda ; alterum, credendi creationem*. (Negamus id esse absurdum, nec ille absurdum esse probare potuit, aut umquam poterit ; demonstrabimus vero, absurdum esse, creationem negare.) *Alterum, admittendi actionem Entis immaterialis supra materiam.* (Neque id absurdum esse probare ille poterit : quod autem absurdum non sit, paulo post dicemus. *Materia semper exstitit, et debuit ab æterno se movere, quippe motus manat ab ejus proprietatibus primitivis, cujusmodi sunt ejus extensio, ejus gravitas, ejus impenetrabilitas, ejus figura, etc.* (Quot verba, tot deliria. Dum fictus Mirabaud supponit id quod est in quæstione positum, principiumque petit : nam idem est quærere, utrum detur creatio, ac quærere, utrum materia semper exstiterit. Dum autem materiæ tribuit motum æternum, I. ignorat ideam motus, qui necessario successionem importat. Quæ autem sunt successiva, habent prius, et posterius : quod æternitati repugnat. Vide quæ diximus Tom. 2. §. 775. sqq. II. Materiæ ideam ignorat, quæ se ipsa iners est : quod autem est iners. Vide ibid. §. 755. sqq. III. falsum assumit, motum nempe manare a proprietatibus materiæ recensitis : nam oculis videmus, nullum corpus moveri, nisi motum.) *Ad formandum universum, **Cartesius** nihil postulavit aliud, quam materiam, et motum.* Perspicitis, quo loco habenda sit **Cartesii** philosophia, qua imp ? ? ?untur ad propagandam incredulitatem. Vide quæ diximus Tom. 2. pag. 52. not. 1. et pag. 97. not. 3. Negamus autem, **Cartesium** nihil aliud postulasse, quam materiam, et motum ad Universi creationem : nam expresse docuit, motum a Deo fuisse materiæ impressum initio temporis. Quare Mirabaud calumniatur. Erravit tamen **Cartesius**, cum formationem Universi attribuit motui partibus materiæ communicato.

n. 4, p. 202
Si standum **Cartesianæ** huic definitioni esset, Pantheismi certe accusandus **Cartesius** foret, præsertim quia ipse statim addit : *Et quidem substantia quæ nulla plane re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe Deus.* Quapropter Leibnitius in *Exam. princip. Malebranc.* Ait : „Certe définition de la substance n'est pas exemple de difficultés. Dans le fond il n'y a que Dieu seul qui puisse être conçu comme indépendant d'autre chose. Dirons-nous donc, avec un certain Novateur trop connu, que Dieu est la seule substance dont les Créatures ne soient que le modifications„ ? *Hæc definitio substantiæ non est exempta difficultatibus. Denique nonnisi solus Deus concipi potest ut indipendens a quavis alia re. Dicemus ergo cum quodam Novatore* (Spinosa scilicet) *Deum esse unicam substantiam, cujus nonnisi modificationes creaturæ sint ?* Ut autem **Cartesium** a Pantheismi nota liberemus, a qua certe absolvi non potest, si ejus definitio substantiæ spectetur ; dicimus, ipsum, ut sæpe assolet, fuisse definitio substantiæ spectetur ; dicimus, ipsum, ut sæpe assolet, fuisse deceptum, eodemque tempore sibimet contradixisse : nam post traditam quam descripsimus, substantiæ definitionem, ait : *Alias vero omnes, nonnisi ope concursus Dei existere posse percipimus.* Porro si aliæ sunt substantiæ quæ

absque Dei concursu noqueunt existere ; igitur substantia non est res, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum. Fontenellius *Digression sur les Anciens, et les Modernes* : „Avant M. **Descartes** on raisonnoit plus commodement ; les siécles passées sont bienheureux de n'avoir pas eu cet homme là. C'est lui, a ce qu'il me semble, qui a amené cette nouvelle méthode de raisonner, beaucoup plus estimable que sa Philosophie même, dont une bonne partie se trouve fausse o fort incertaine, selon les propries régles qu'il nous a apprises. *Ante* ***Cartesium*** *ratiocinatio commodius instituebatur ; præterita secula felicia sunt, quod hoc caruerint homine. Is, ut mihi quidem videtur, hanc novam ratiocinandi induxit methodum æstimatione plus certe dignam, quam ipsa ejus Philosophia, cujus magna pars est falsa, aut nimis incerta, ex ipsismet quas docet regulis.* Testis sane locupletissimus.

n. 1, p. 215

Quæri etiam posset de motu, an sit quid reipsa distinctum a corporibus quæ moventur ? Nam si distinctus non est, intelligi plane nequit, quomodo possit ab uno corpore alteri communicari. Idipsum quæri potest de *inertia, attractione, gravitate, viribus,* quæ, Newtonianis fatentibus, per mechanicas leges motus explicari non possunt ; neque proinde ad molecularum motus redigi. Leibnitius Theodic. §. 393. adversus Bælium ajentem, nulla esse accidentia, a substantia distincta, sic scribit : „Consultum erit cavere, ne, dum substantiæ cum accidentibus confunduntur ; dum substantiis creatis omnis actio adimitur, gradus fiat ad Spinosismum, qui **Cartesianismus** est immoderatus. Si accidentia non distinguuntur a substantiis, si substantia creata est ens successivum, uti motus, si ultra momentum non permanet, neque (aliquo temporis spatio adsignabili) eadem reperitur magis, quam ejus accidentia, si non magis quam mathematica quædam figura, vel numerus, operatur, cur non dicamus cum *Spinosa*, Deum solum esse substantiam, creaturas vero nihil esse, nisi accidentia, sive modificationes ? Hucusque creditum fuit substantiam manere, mutari accidentia : in hac veteri doctrina perstandum censeo, nec argumenta, quæ legisse memini, contrarium probant, et nimium probant, si quid probant„. Commentario Leibnitii verba non egent. Utinam Recentiores alii cessent saltem a deridendis Peripateticis, quod accidentia admiserint realiter a corporibus distincta ; desinantque jactare, jampridem illa a vera Philosophia fuisse proscripta !

n. 2, p. 217-218

Ita Maignanus loc. cit. Fortunatus a Brixia Phys. Gen. par. I. §. 608. Bernierius l. de qualit. Sanguesius Accid. proflig. Aliique communius. Nimirum Recentiores deserendas putarunt explicationes sive **Cartesii** in resp. ad quart. object. Confugientis ad *externam panis superficiem* ; qua de re vide quæ diximus Tom. 2. pag. 54. not. 1. sive Radberti [?] in Philos. Euchar. fingentis in pane eucharistico quamdam *assumptionem hypostaticam*, ita ut substantia panis assumatur a Christi anima, et Divinitate, fiatque corpus Christi. Quæ quidem explicatio præterquamquod novam unionem hypostaticam Catholicæ Ecclesiæ incognitam, invehit ; destruit conversionem, perstareque facit in Eucharistia ipsam substantiam panis. Sive Moraschii Metaph. sect. 4. c. 3. | ajentis, atomos panis *physice* constituere corpus Christi, *repræsentative* vero exhibere formam panis. Quæ sententia impanatoribus favet, pariterque tollit conversionem. Sive demum Rohaultii Exercit. de philos. adserentis, Christi corpus accipere eamdem texturam, figuram, colorem, modosque ceteros qui panis erant. Quod si esset, non panis in corpus Christi, sed corpus Christi in panem converteretur.

n. 4, p. 332-333

Ex hisce demonstrationibus luce meridiana clarius patet, | quam falso scribat Mirabaud ementitus loc. cit. not. 24. de **Cartesio** : „Il est le premier, qui ait établi *que ce qui pense doit être distingue de la matiere*, d'où il conclut que notre ame, ou ce qui pense en nous, est un esprit„. *Ipse primus fuit, qui statuit, id quod cogitat debere esse distinctum a materia, inde concludent, animam nostram, aut id quod in nobis cogitat, esse spiritum.* Similiter mentiti sunt Bælius in Dict. art. *Rorarius* litt. C, et Auctor anonymus *Defence de Pascal*, idipsum de **Cartesio** adserentes. Tam impudens mendacium redarguunt recensitæ demonstrationes ex S. Thoma desumptæ. Adeundus est etiam Plotinus 1. 6. Enneade 4. et S. Augustinus in lib. præsertim *de quantitate animæ*, et Claudianus Mamertus l. *de statu animæ*. Quibus ex fontibus derivasse videntur **Cartesius** ejusque discipuli quidquid de anima recte scripserunt.

n. 1, p. 396

En Clericus a **Cartesianis** recedit, statuens non posse respirationem, et motum cordis fieri mechanice. Quod si mechanice hi motus non fiunt, oportebit, ut sint ab aliquo principio quod non sit corpus. Idem principium substantia incorporea ex Clerico nequaquam erit, alioqui hæc esset anima intellectiva, a qua tamen Clericus non vult, actiones illas fieri. Quid ergo erit ea substantia, nisi quidpiam medium inter corpus, et spiritum ? eum tamen Recentiores Philosophi hanc mediam substantiam fictionem esse Peripateticorum dicant.

n. 1, p. 432
Torquet hæc ratio Philosophos juniores Catholicos plerosque omnes. Dicunt autem, a Concilio damnatum fuisse errorem adserentium, animam non esse partem essentialem, sed adventitiam homini ; definitum vero, illam vere, per se, et natura sua esse formam, seu partem intrinsecam, et essentialem hominis ; at nusquam dixisse, eam informare corpus eo sensu quo Scholastici accipiunt. Verum dubitari haud posse videtur, quin Viennenses Patres nomina *formæ per se, et essentialiter,* ab ipsis tributa animæ intellectivæ, ecceperint eo sensu, qui eo tempore apud Philosophos, et Theologos communis erat, nisi forte quis velit, eos intendisse illum sensum, quem post tria et amplius secula **Cartesiani** illis vocibus attribuerut : quod sane nedum foret ridiculum, sed etiam periculi plenum ; ita enim mutando receptum verborum sensum, eludere quisque posset Ecclesiæ definitiones. At enim quis anno 1311 quo habita Synodus Viennensis fuit, nomina *formæ per se, et essentialiter* alio sensu accipiebat, quam eo prorsus, quo Scholastici accipiunt ? Si anima præsidet tantum in cerebro, quomodo erit forma corporis ? Si est corporis forma, non alia ratione, nisi quia Deus libere voluit, ut operationes animæ responderent operationibus corporis, quin tamen ulla sit inter ultrasque dependentia ; quomodo anima erit forma corporis *vere, per se, et essentialiter* ?

n. 5, p. 440-441
Hæc glandula [...] Dicitur *pinealis* a figura pineali : resident in superiori parte cerebri ; | imo, si **Cartesianos** audimus, ipsa est centrum ventriculorum cerebri. **Cartesii** opinionem promovit de la Forge in *Not. ad **Cartesii** Tract. de homine*, et contra Bartolinum vindicavit ; sed irrito conatu ; neque enim eam persuadere allis potuit.

n. 2, p. 444-445
Qui **Cartesianum**, et Leibnitianum systema sequuntur, vim vegetandi, qua corpus vivum sese perficit, nutrit, reparat, propagat, et qua deficiente moritur, repetunt ex sola structura machinæ ; etsi Leibnitiani velint, animam ubique conspirare. Ita Leibnitius in Animadv. circa adsert. Theoriæ Med. Stahlii n. 9. Hinc vero sequitur, vitam corporis non pendere directe ab anima, sed oriri, et conservari per motiones mere mechanicas, ac vi structuræ ; ideoque corpus non mori, cum anima abscedit, sed potius animam abscedere, cum corpus moritur. Ita novissime Storchenau Psychol. §. 161. Quam hæc sint absona, dicendum est paucis. Ac nemo in dubium vertit, ne ipse Leibnitius quidem, actionem, qua propagatur, species, sive actionem generativam pertinere directe ad vegetationis vim ; non enim directe pertinet neque ad intellectivam vim, neque ad sensitivam ; nisi quatenus adjunctas habet passiones, quas vel ratio moderatur, vel effrænes abire finit ; in seipsa vero actio generativa ad vegetationem pertinet. Vide S. Thom. I. p. q. 78. a. 2. Si ergo vegetatio non pendet directe ab anima, sed fit ope structuræ corporis, estque pura motio mechanica ; humana generatio motio erit pure mechanica, et effectus structuræ corporis, nec ad animam directe pertinebit. Generatione autem propagatur species humana, quæ et corpore constat, et anima. Species igitur humana, seu homo erit effectus solius structura corporis ; hoc est, caussa erit imperfectior effectu. Insuper non | erunt parentes qui generant : nam parentes non ex solo corpore, sed ex anima etiam componuntur. Nec generatio erit in similitudinem naturæ ; ad hanc enim constituendam conveniunt corpus, et anima ; generatio vero esset motio pure mechanica oriens ex structura corporis. Nec posset per actionem generativam transfundi peccatum originale ; hoc enim transfunditur per transfusionem naturæ, ut dictum est §. 917. natura autem constans ex anima, et corpore transfundi non potest per motionem mere mechanicam. Quomodo autem Christus Dominus secundum humanam naturam esset. Matri consubstantialis, et quomodo B. Virgo esset vera Mater Dei, si generatio Christi secundum carnem fuisset tantum motio mechanica, pendens a structura corporis, et non ab anima ? Resurrectio quoque corporum esset effectus motionis mere mechanicæ : nam vita ad quam redibunt corpora, cum resurgent, non esset ab anima. Possent proinde, corpora resurgere virtute naturæ, saltem naturali virtute Angelorum quam non excedunt motiones mere mechanicæ. Rogamus Philosophos recentiores, ut has consequutiones expendant, videantque quam exitiosæ eæ sint, et quam bene fundata sit sententia nostra.

n. 3., p. 446

Credidere **Cartesiani**, impressiones objectorum deduci ad cerebrum per nervos in instanti, ob nervorum vibrationem, qua fieret, ut una extrema parte nevi mota, propagaretur statim vibratio ad alteram extremam partem in cerebro. Sed cum vibratio haberi non possit sine elasticitate : observatum vero sit, nervos non esse elasticos, explicatio **Cartesianorum** omnino corruit. VIde quæ diximus Tom. I. pag. 172. sqq.

n. 3, p. 470-471

Intrinsecam unionem animæ cum corpore Leibnitius non negat. Nam in Diss. de confor. Fidei cum ratione §. 55. *Admitto*, inquit, *veram unionem inter animam, atque corpus, quæ ex duobus illis faciat suppositum.* Et licet addat : *Hæc unio est metaphysica* : non potest tamen negare, quin sit realis. Nam, ut recte Tourneminius (Vide Tom. 2. Opp. Leib. par. 2. pag. 259.) „cette union n'est pas une idée métaphysique. Le corps est réellement, et physiquement uni à l'ame, plus que deux horloges parfaitement semblables ne sont unies. Le rapport de mouvemens du corps aux pensées, et aux affections de l'ame, ne peut jamais passer que pour une suite de l'union : et quoique M. Leibniz explique ce rapport plus heureusement que les Cartésiens, il n'explique point du tout l'union„. *Hæc unio non est conceptus metaphysicus. Corpus realiter, et physice est animæ unitum magis quam duo horologia perfecte similia sunt unita. Relatio notionum corporis ad perceptiones, affectionesque anima | haberi numquam poterit, nisi ut consequutio unionis. Et licet Leibnitius hunc ordinem melius quam* ***Cartesiani*** *explicet, nullo tamen modo explicat unionem*. Nam si hæc anima unitur huic corpori, quia operationes ejus sunt prævisæ a Deo conformes motionibus corporis ; non magis anima, et corpus uniuntur, quam duo horologia perfecte similia, et unio est mere extrinseca. Quomodo igitur ex anima, et corpore fiet unum suppositum, et una persona ? An duo illa horologia quamlibet perfectissime similia, sic poterunt uniri, ut ex eis duobus fiat unum suppositum ? Hinc patet, exemplum pendulorum a Leibnitio adhibitum, ineptissimum esse ; non enim duo horologia unisona ita uniuntur, ut ex eis fiat unum horologium, quemadmodum ex anima et corpore fit unus homo.

n. 4, p. 576-577

Duas demonstrationes de Dei existentia excogitavit **Cartesius**. Primam tradidit Medit. 3. nititurque idea Entis infinite perfecti, quam in nobis exstare dixit, et qua meliora deterioribus anteponimus, quæque nonnisi ab Ente infinito, et summe perfecto haberi potest. Sed jam Tom. I. §.358. sqq. ostendimus ex principiis ejusdem **Cartesii** non dari in nobis hanc ideam innatam Entis infinite perfecti, sed eam colligi a posteriori ex rebus creatis. Quare concedit prima illa demonstratio. Secunda habetur Medit. 3. scilicet : quidquid comprehenditur in idea clara, et distincta Dei comprehenditur existentia ; igitur Deus existit. Sed hæc etiam deficit : nam in hoc viæ statu non habemus ideam claram, et distinctam Dei | quæ nobis ostendat, quid Deus sit, sed Deum videmus per speculum in ænigmate. De his agit Buddeus de Atheismo, et superst. §. 25. in not. Inique autem Auctor syst. nat. par. 2. c. 5. ait, **Cartesium** jure fuisse accusatum atheismi, propterea quod infirmis rationibus Dei existentiam probet ; non enim ex firmitate, vel infirmitate aliquarum rationum judicium de Philosophis est ferendum, sed ex toto eorum systemate.

n. 6, p. 669-670

Vetus erat hæc Durandi opinio : nam S. Augustinus l. 5. de Gen. ad litt. c. 20. *Sunt,* inquit, *qui arbitrentur, tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, et jussit* ; *Deum autem ipsum nihil operari.* Eamdem sententiam videtur amplexus **Cartesius**, qui, ut diximus Tom. 2. pag. 97 not. 3. costituit, Deum materiæ particulis, quas creavit, motum initio temporis communicasse ; easdem vero particulas motum inter sese invicem communicare, ita ut semper eadem sit in mundo quantitas motus. Qua ex re sequitur, omnes corporales effectus non recognoscere Deum auctorem, quasi a Deo fiant, nisi tantum, quia Deus | initio motum indidit materiæ particulis, eumque conservat. Durandi sententiam excitarunt Ludovicus Pereir a Dola Capucinus, et Bernerius l. de libero, et voluntario, referente Leibnitio Theod. §. 27.